





1580?
1540 circa
[1539]

4.

Bibliothecae Eremi Vigrensis adscriptus A. 795.

ALIVS INDEX.

DE S. IOANNE APOSTOLO ET Euangelista.



OTVS locus est de uocatione Ioãnis Euangelistæ ex 4. ca. Mat. unde constat uocatũ eũ sine suo merito, & præter omnem expectationẽ ad cognitionẽ Euangelij, & ad munus Apostolicum per Christum. Post resurrectionem Christi uixit Ioannes multo pluribus annis, quàm reliqui Apostoli, & quanquam occisus non est per tyrannos impios & persecutores Euangelij, tamen non minora incommoda, grauiores etiam cruces, & calamitates sustinuit, quàm uel Stephanus uel omnes alij Apostoli & martyres. Illis enim contigit cito mori & eximi his miserijs, cæterum Ioannes per totam uitam suam, & per tot annos, ueluti in perpetuo quodã

& aßi

& aßiduo agone luctatus est: Nam uidit in Eccle
sia subinde exoriri perniciosas sectas & perse-
qutiones aduersus ueram Ecclesiam, & interim
hæreticos impios foueri publice, & esse in admi-
ratione apud Cæsares & maximos quosque ho-
mines. Interim Ioannes & reliqui pij, qui Euan-
gelium docebant contempti & proscripti sunt.

Porrò Ephesi in Asia docuit Euangeliũ et Asiæ
Ecclesijs præfuit ueluti communis & generalis
quidam Episcopus et superintendens. Sub Vespa
siano Cæsare uidit uastari regnum Iudaicum, de-
strui templum, & Iudæam patriam suam euerti
miserrime. Id uerò quanto cum luctu & dolore
animi cognouerit, uel inde potest æstimari facile,
quòd non ignorabat id fieri horrendo quodam iu
dicio dei propter contemptum Christum, ut inte
rim non dicam de prima & grauißima perse-
cutione contra Christianos, sub Nerone Impera-
tore, sub quo optimi quiq; Apostolorum & mag
ni nominis Christiani mortẽ oppecierunt, ut Pe
trus & alij. Porrò ubi Domicianus Imperator fa
ctus est filius Vespasiani, & frater Titi, is secun
do persecutus est Christianos post Neronem, &
cum publico edicto edito iußißet omnes Christi-
anos, & maxime prædicatores Euangelij, pelli

in exilium, profugere Ioannes coactus est in Pathmos insulã (ubi dicitur Apocalypsin scripsisse si modo illius autor est hic Ioannes) ibi uero in quãto mœrore & luctu fuerit, inde facile cogitari potest, quòd non ignorabat à sæuissimis lupis, hoc est, prauis doctoribus et impijs hæreticis interea ecclesias dissipari, & corrumpi sanam doctrinam Euangelij. Tandem trucidato Domiciano permissa est Christianis libertas redeundi, itaque reuersus est Ioãnes ad Ecclesiã suã Ephesinã, et trãquillitatem nactus scripsit contra Ebionitas, Martionem & Cherintum hæreticos Euangelium suum, in quo potissimũ tractat diuinitatem Christi & doctrinam de iustificatione fidei. Negabant enim hæretici illi diuinitatem Christi, & docebant carnale regnum post hanc uitam futurum.

Cæterum illud haud quaquã hic prætereundũ est, q horrendo iudicio Dei fœdissime perierunt blasphemi illi hæretici, & graues dederunt suæ impietatis pœnas. Accidit enim quòd lauandi gratia ingressus est balneas Ioannes, & quando uidit Cherintum hæreticum inter suæ sectæ socios, impudenter & palam blasphemantem Christum in balneis, exilijt Ioannes & illotus discessit, inquiens ad suos: Fugiamus hinc

hinc, ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cherintus lauatur ueritatis inimicus. Simulatque autem egressus erat Ioannes collapsum balneum est, & oppreßi sunt Cherintus & hæretici alij. Dedit itaque Cherintus cũ suis pœnas grauißimas suæ impietatis, ut sciamus homines obstinate impios & blasphemos in Christum non manere inultos, & exitum illorum semper confusionem & ignominiam esse, utcunque aliquandiu florere & regnare uideantur. Contra uerò pij quanquam oppreßi, & multis calamitatibus obnoxij, tamen glorificantur tandem, & decedunt cum insigni testimonio pietatis ex hac uita. Proinde hæc exempla hæreticorum consolari debent piorum animos, ut sciant finem impiorum interitum esse & exitium illorum non tardare, tãtum ut nos orantes per pacientiam expectemus tempus quando ulciscetur eos dominus. Cæterũ Ioannes functus Episcopi ac prædicatoris Euangelici ministerio apud Ephesios et doctrina et cõsilio præfuit Ecclesijs Asiæ, usq; ad tẽpora Traiani Imperatoris qui Neruæ succeßit, ac tum demũ obijt Ephesi ibidẽq; est sepultus anno octauo et sexagesimo post paßũ Christũ. Et testatur an

norum ordo fuisse Ioannem in officio prædicationis ultra annos sexaginta. Porrò quòd inane sepulchrum sit repertũ sicut fertur, nusquam apud probatæ fidei historicos reperitur, saltem huic commento occasionẽ præbuit id quod dixit Christus. Volo eum sic manere. Ex hoc figmento fabula alia orta est de reditu Enoch, Eliæ & Ioannis in mũdum ante extremum diem.

De sancto

DE SANCTO MARtino Episcopo.

IN historia Martini præclara testimonia extant ueri Episcopi seu prædicatoris Euãgelici, ideo digna est, quæ diligenter cognoscatur, & quanquam superstitiosis quibusdam figmentis sordidata est in multis locis, tamen ideo quæ in ea sunt optima & utilia contemni non debẽt. Primum quod ad temporis rationem attinet fuit Martinus in illorum Episcoporum numero, qui sub Iuliano & Valentiniano Imperatoribus, doctrinam Euangelij & synceram religionem aduersus Arrianorum hæresim cõstanter tutati sunt, atq; ex hac ipsa circumstãtia temporum æstimare licet, fuisse Martinum uere pium præsulem & uigilantem in tuenda doctrina Euangelij assertorem.

Parentes nobiles habuit, sed impios ac hostes Christianæ religionis. Pater Tribunus militum fuit sub Iuliano Cæsare, atq; hoc ipsum magnæ tũ dignitatis officium erat, quod nõ nisi summis uiris contingebat. Porrò educabatur Martinus ad militiam quoq; patris sui exemplo. Cæterum cum Euangelium tum passim prædicaretur, puer adhuc Martinus ad audiendum sacras contiones subinde in templum ibat, ac catechismum Christianæ do

ctrinæ perdidicit, & postea quanquam renitentibus parentibus baptizatus est. Hic uerò quantam censes eum crucem, quanta odia & persecutiones & parentum, et aliorum sustinuisse? Cæterum matrem tandem ad Christianismum conuertit, pater ipsius mansit impius, haud dubie in gratiā Iuliani Cæsaris, qui summus contemptor fuit religionis Christianæ.

Porrò cum audisset Martinus Hilarium Episcopum Pictauiensem rediisse ad suam Ecclesiam ex exilio, in quod pulsus erat per Arrianos, qui tum in admiratione apud principes erant, & manifesta ui grassabantur in uere pios, nam & ab iisdem Martinus quoque profligatus & eiectus erat ex urbe, ubi in schola Euangelium docebat discipulos, quos habuit. Venit itaque ad Hilarium Episcopum eiusqúe doctrina & conuersatione tantum promouit in cognitione scripturarum, quòd & ipse Monasterium instituit, hoc est, scholam, in qua sacras literas docebat. Accidit autem ut Turonenses Episcopum ac superintēdentem in sua Ecclesia non haberent, itaque ab illis Martinus uocatus est in Episcopum, ut respiceret Ecclesiam sua uigilantia, ne qua hæresis & falsa doctrina irreperet

reperet. Erant enim tum magna & aperta pericula ab hæreticis, proinde factus Martinus Turonensium Episcopus Christum syncere prædicabat, non sectas, non fiduciam operum docuit, sed tanquam fidelis dispensator Euangelium Christi prædicauit. Præterea quoq; extra populi frequentiam Monasterium, hoc est, publicam scholam cõstituit, in qua latine literas sacras tractabat in usum studiosorum, de quibus spes erat, ut in docendo Euangelio aliquando Ecclesiæ possent prodesse. Et fuisse scholam hoc Monasterium satis ex historia æstimare licet, quæ testatur habuisse Martinum supra octoginta discipulos & auditores in hac sua schola, illosqúe intentos studijs scripturæ sacræ uixisse sobrie & continentißime extra omnem luxum. Nihil enim perinde obest ingenijs, quàm luxus & ebrietas: Atqui ex hoc ipso Collegio discipulorum Martini multos factos esse Episcopos Ecclesiarũ testatur historia. Atqui hoc ipsum arguit satis qua de caussa et Monasteria et collegia Canonicorum primũ sunt instituta, & in ipsis ædificijs collegiorũ multa sunt uestigia, quæ scholas olim fuisse cõprobant, et scholarum speciẽ adhuc hodie

præseferunt. Proinde in officio sui Episcopatus hoc unum conatus est Martinus, ut Christum fideliter doceret, & pro facultatibus suis pauperes semper adiuuaret. Fuit itaque omnibus uirtutibus ueri Episcopi instructus iuxta præscriptū Pauli 1. Timoth. 3. cap. In doctrina potens erat ad docendum suos, & ad conuincendum aduersarios. In uitæ conuersatione & moribus lenis & sobrius. Ad hoc pacientißimus quoque in aduersis, nā ab ipsis presbyteris, et collegis suis sæpe grauißimas iniurias passus est. In orando & precationibus aßiduus fuit, adeò etiam, q; ut Seuerus discipulus eius scribit, nullum unquam horarum momentum præteriit, in quo nō aut orationi aut lectioni incumberet. Hæc demum sunt testimonia ueri Episcopi. Nam q; docere & prædicare Euangelium debeant Episcopi etiam ueteres Canones testantur. Nulla in hac historia Martini mentio fit de confirmatione Romani pontificis, de pallio magna ui aureorum redimendo, sicut hodie fieri solet. Magnis tentationibus exagitatus est Martinus à Sathana, ut specie sanctimoniæ & pietatis deceptus deficeret à uera cognitione uerbi ad impietatem aliquam. Accidit enim quodam tēpore, ut diabolus regia purpura & di-

ademate

ademate ornatus appareret ei sub psona Christi, cumq; taceret Martinus uiso hoc spectaculo, ait ad eum diabolus. Agnosce Martine quem colis, Christus ego sum descensurus ad terras, prius me tibi uolui manifestare. Et cum adhuc Martinus nihil responderet, rursus ait, Martine cur dubitas credere, cum me uideas? Christus ego sum. Tunc ille uerbo dei instructus per spiritumsanctum ait. Meus Christus crucifixus fuit, & uulneratus, ideoq; te tali in habitu nō recipio, neq; ĩ te credo. Ad hanc uocem ille euanuit. Monemur hoc exemplo ne apparitionibus spirituum credamus. Satan enim hoc agit, ut transformet se in angelum lucis, ut Euangelij uerã doctrinam obscuret. Porrò cum ageret iam Martinus annum octogesimum suæ ætatis, debilitari cœpit, & in febres incidit, atq; cũ grauiter ægrotaret, ut spes uitæ reliqua amplius non esset, hortatus est discipulos ad religiõis studium, et ut hæreses pugnãtes cum doctrina fidei uitarent. Illi uerò flentes dixerunt. Cur nos pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Inuadent enim gregẽ tuum lupi rapaces. Ille uerò & luctu & precibus eorum motus dixit. Domine si adhuc populo tuo sum utilis non recuso laborem, fiat uoluntas tua. Sed ipse

oculis in cœlū fixis orās nō multo post expirauit astātibus præsbyteris. In eius exeqis multi præclari uiri fuerūt, q postea Episcopi facti sunt. Cōstat quoq; ex historia Martini Diaconos et Archidiacanos dispēsatores eleemosynarū tūc fuisse in Ecclesia nō appellatiōes dignitatū, legitur enim quod præceperit Archidiacano Martinus, ut pauperi cuidā uestē daret. Ille uerò cū id facere neglexisset, et postea cū p occasionē uideret Martinus adhuc nudū hoīem nulla ueste utentē, ipse suū palliū illi donauit. Ambrosius Episcopus alicubi meminit Martini in suis scriptis.

DE M. MAGDALENA.

EXemplū M. Magdalenæ dignū est quod diligēter tractetur. Est.n.mire cōsolatoriū ad erigēdas cōscientias infirmorū hoīm, q sentiūt se esse peccatores, et nō posse se suis operibus et iusticia conscientiæ trāquillitatem corā deo inuenire. Et hac caussa institutū quoq; est olī à maioribus, ut quotannis Magdalenæ exemplum tractaretur. Sed contigit in hoc exemplo, quod in multis alijs, quòd res utilis et ualde salutaris Ecclesiæ in turpē abusum abijt, et degenerauit in fabulosam quādā superstitionē, quæ nō solū diuersa esset à scripturis, sed cōtraria etiā palàm apertis uerbis Euāgelistarū. Nos itaq; simpliciter usum exēpli Ma

gdalenæ tractabimus, sicut in Euāgelicis histori is de ea scriptū est, ut certi aliqd discamus, quod ad nostrā consolationē et institutionē potest face re. Abusum quoq; eiusdē exēpli breuiter indicabimus propter aduersarios nostræ doctrinæ, ut in telligāt hoīes pij quātis mēdacijs pro uera scriptu ra usi sint Monachi olim ad decipiēdas aīas hominū propter suū quæstū. Est aūt certißima hæc ratio tractādi exēpla sanctorū, ut cōsyderemus primū illorū doctrinā et fidē qua seruati sunt. Vi tā et opa cōsiderare nō debemus, nedū admirari, nisi quatenus sunt fructus fidei, nō ipsorū merita. Ad hūc modū propositū nobis est in Euāgelicis literis exemplū Mariæ Magdalenæ luce 8. cap. Ait enim Euāgelista fuisse mulierē nō uulgari in firmitati obnoxiā, sed obsessam septem dæmonijs & liberatam à Christo. Primum itaq; nihil tribu it eius meritis, sed corporaliter etiā obseßā ait se ptē demonijs, ut notet extremā eius miseriā, et ca lamitatē. Sic nos oēs ait Apostolus natura filios iræ et dānationis esse, quāquā corporaliter nō ui demur obseßi à diabolo. Iā uerò sicut Magdalena sine suo merito liberatur p Christū, ita et nos quo q; eripimur ex regno et potestate diaboli, in qua sumus, quādo p Christū baptizamur, et cognitiōe

Euangelij illuminamur, ut credamus propter ipsum remitti nobis peccata, & liberari nos à morte. Magdalena itaq; credit ex misericordia dei se seruari per Christum, & id significat Lucas cum ait eam sequi Christum & audire eius uerbum. Nam hoc unum est, quod à nobis qui Christiani sumus requiritur, ut maneamus in fide Christi, & exerceamus nos in studio & cognitione Euãgelij, quamdiu uiuimus. Porrò opera & fructus fidei non desunt in Magdalena. Non enim secura nunc desidet domi, & suas tantũ uoluptates curat, sed seruit Christo, et illi subsidium præbet de suis facultatibus cum mulierculis alijs, quæ item senserunt beneficium Christi. Estq; insignis hæc commendatio bonorum operum, ut sciamus hanc magnam esse gratitudinem & beneficium, quod in iustificatis placet deo, ut nostris operibus, quãtum in nobis est, Euãgelium conseruare apud posteros studeamus.

Porrò cum proficisceretur Christus Ierosolymam sub tempus paschatis, quo passus est, fuit unà in eius comitatu Magdalena, & cum crucifigitur adstat unà cum Maria matre, & dolet & sepultum ungere uult emptis aromatis, ut erga mortuum Christum quoq; testetur animi grati significationem,

gnificationem. Sed interim, sicut alij discipuli, ipsa quoq; in fide uacillat, & infirma est, non potest enim sperare, ut resurgat Christus, atq; hæc est communis infirmitas omnium piorum in tentatione. Sed quid fit? testantur Euangelistæ Christum deuicta morte iam resuscitatum primum omnium se exhibuisse uiuentem Mariæ Magdalenæ, de qua septem dæmonia exierāt, ut ex hoc exemplo constet Christi resurrectionem ad eos maxime pertinere, qui se grauißime sentiunt peccatis laborare. Proinde confirmata hac certitudine resurrectionis Christi, credidit Christum esse Dominū mortis & peccati, per quem solum contingat iusticia, remißio peccatorum, et uita æterna. Et non dubium est, quin hanc fidem diligenti studio audiendi & discendi Euangelij aluerit usque in finem uitæ, & interea de suis facultatibus seruijsse proximo, & in primis discipulis, sicut antea Christo ipsi.

Hæc itaq; tractatio exempli Magdalenæ consolatoria est, & ex Euangelicis literis sumpta, consentit cum doctrina fidei, quam etiam confirmat in animis nostris, ut sciamus exemplo Magdalenæ, nos omnes peccatores & damnatos esse. Deinde liberari nos per Christum. Tertio si-

dem hanc in Christum alendam & augendam esse studio audiendi uerbũ per totam uitam, & declarandum per opera charitatis, quæ sunt fructus ueræ fidei. Quarto esse quidẽ nondũ ab omni parte perfectos credentes, maxime ut persistamus in tentatione contra scandala, sed ibi consolatur Christus suos resurrectione sua, qua ascendit ad patrẽ factus dominus omniũ in cœlo et in terra. Debemus itaq; merito gratias deo agere, quòd habemus in Magdalenæ exẽplo certitudinẽ nostræ fidei, et confirmationẽ nostræ salutis. Deinde orare quoq; deũ debemus, ut donet nobis fidẽ, illuminet et conseruet nos in cognitione uerbi sui exemplo Magdalenæ huius, ne relicto Christo ad fiduciam operũ nostrorum prolabamur.

Quod ad personam & genus Mariæ Magdalenæ attinet, non opus est scrupulosius singula inquirere, neq; enim hoc magnopere facit ad rẽ. Olim certe hac de re magna fuit dißẽsio. Sed quãtum ex Euangelistis apparet, Maria Magdalena ex Galilæa fuit, ubi liberata quoque est per Christum à septem dæmonijs, id quod Matthæi 27. uides, atq; hinc constat satis eam non fuisse sororem Lazari Bethaniensis, de qua est Ioannis 11. & 12. ca. Bethania .n. non abest longius à Ierusalem

salem, quàm stadijs quindecim sita ad latus montis Oliueti. Neq; uerò fuisse Magdalenam hanc mulierem, quæ Christo pedes lauit, & profudit unguentum in caput eius Lucæ 7. cap. satis aperte constat ex ipsis uerbis Euãgelistæ qui clare testatur fuisse mulierem peccatricem in eo ipso loco seu ciuitate. Et aliam unguenti profusionẽ & lotionẽ pedũ factam esse à Maria sorore Lazari et Marthæ apparet ex 12. cap. Ioannis. Id quod commenti quidam sunt de arce Magdalon, quæ in diuidenda hæreditate cũ Lazaro & Martha uenit in sortem Mariæ fabulosum est. Præterea & ea omnia quæ habet Lõbardica historia seu aurea legẽda sanctorũ de Ma. Magdalena fictitia sunt. Dixerũt enim post ascẽsionẽ Christi à P. Apostolo cõmissam esse Magdalenã Maximino cuidã ex septuagita duobus discipulis, et cũ illo nauigio peruenisse propter psecutiões in Christianos in Massiliã urbẽ, ibiq; publice docuisse et miracula fecisse. Præterea Lazarũ fratrẽ eius in eadẽ urbe episcopũ factũ. Postea illã triginta annis in eremo pœnitentiã egisse, et nullo pane aut cibo sed tantũ syluestribus herbis usam esse, & indies septies sub tempus septem horarum Canonicarum ab angelis in aëra sublatam cum magno gaudio, & id

tandem resciuisse pium quendam sacerdotem e ti am in eremo uiuentem, et expletis triginta annis sub finem uitæ suæ esse Mariam Magdalenam ab angelis deportatam in templum illud, & palàm eleuatam ab angelis à terra stetisse in ipso choro & subsellijs sacerdotum, ubi tunc fuit Maximinus, & ibi tum procumbentem ante altare sumpsiße corpus dominicum, & statim eodem illo tem poris momento esse mortuam. Hæc omnia stulta partim, & absurda, partim etiam uehementer impia sunt. Ridiculum enim est & stultum de sancto Petro & Maximino, & omnia illa de nauigatione. Et docere mulierem non permittit in in Ecclesia Paulus. Porrò q̃ per triginta annos in locis desertis pœnitentiam egerit pro peccatis, manifeste impium est, & pugnat cum omnibus illis quæ de Magdalena scripta sunt in Euãge lijs, Prætere a cibos uitare, quos creauit deus sumẽdos cum gratiarũ actione, doctrina dæmoniorum est. 1. Timoth. 4. Et ad Colos. secundo capi te damnat Paulus istam religionem, qua corpus læditur, & suo debito honore priuatur. Sed quid opus est singulatim hæc omnia refellere? Duo ui detur quæsiisse uel calliditas Sathanæ, uel impudentia quorundam, qui harum fabularum autores

thores sunt, ut hoc pacto hominum animis fucum aliquem facerent, & commendarent horas Canonicas, & missæ sacrificium. Cæterum iam per gratiam Dei Euangelio reuelato cernitur palàm, quàm impudens hoc fuerit mendacium, quo tum interea temporis, quando potestas fuit principis tenebrarum, toti orbi est impositum. Proinde ingentes gratiæ agẽdæ sunt Deo, quòd reiectis fabularum mendacijs uerum usum exempli Magdalenæ ex Euangelicis historijs denuo cognoscimus.

DE IACOBO APOstolo.

PRIMO dicendum est de uocatione Iacobi qua ad cognitionem Euangelij & ad offi-cium apostolicum peruenit. Ea enim prorsus inopinata fuit & præter omnem ipsius expectationem tum, cum piscaretur, & nihil minus futurum esse in animum induxisset. Proinde per Christum sine merito suo peruenit ad cognitionẽ Euangelij, & uocatus est ad Apostolatum, ut ex hoc exemplo consolationis argumentum omnes nos quoq; sumamus, qui sentimus peccatũ nostrũ & infirmitates carnis, ne dubitemus omnes sanctos ad eundem modum per gratiam Dei in Chri

sto seruari, sine suis meritis et operibus. Et admo-
net nos quoque hic locus de uocatione Apostolo-
rum, qui partim piscatores fuerunt, partim alij
homines contempti coram mundo, ut cogitemus
ideo nō repudiari nos à deo si homines miseri, ui
les & contempti sumus ad illorū hominū æstima
tionē, qui in mūdo potētes et magni sunt, ac mag
nam commendationē sanctitatis et sapientiæ ha-
bent. Vocatus Iacobus à Christo, ultro eum secu
tus est, et credidit uerbo eius, nihil secum delibe-
rās prius, an pharisei et magni homines in mūdo
essent hoc doctrinæ genus, quod adserebat Chri-
stus, probaturi. Post ascensionem Christi et missi
onem spiritus sancti, constanter et intrepide unà
cū alijs Apostolis testatus est de resurrectione
Christi, & cum alij in alias orbis partes discede
rent prædicaturi Euāgelium, ipse Ierosolymæ in
Iudæa mansit, ibique Episcopus ac superinten-
dens Ecclesiæ piorum fuit. Nam magna constan
tia & libertate docuit iustificari homines per fi-
dem in nomine Christi, ideoq; uanam esse omnem
fiduciam operum legis Mosaicæ. Iudæi uerò cum
indigne ferrent hanc nouā prædicationē de Chri
sto quotidie latius propagari, accidit, quòd Hero
des Agrippa rex gratificaturus Iudæis palàm
instituit

instituit persequi Apostolos et prædicatores Euã
gelij. Nã quicquid paßim erat turbarum, et publi
carũ calamitatum ac malorum in regno Iudaico,
id omne nouæ prædicationi de Christo imputaba
tur, existimauitq; Herodes rex et Iudæi, tũ demũ
omnia fore tranquilla publice et priuatim, si Apo
stoli et prædicatores Euãgelij perderentur, et ab
illis ueluti à publicis et fatalibus quibusdã mon
stris terra repurgaretur. Proinde Iacobũ Ioãnis
Apostoli fratrem et Episcopũ Ierosolymitanũ ap
prehendi et capite trũcari iubet Herodes, ut hoc
modo autores et prima capita Christianæ sectæ
sensim extirparet. Callidũ quidẽ et prudens hoc
est consiliũ, sed quia contra dominũ est et in caus
sa religionis, ideo non succedit. Nam occiso Iaco
bo, & Petrum Apostolum similiter apprehen
di & in carcerem cõijci iußit, sed ille seruatus est
præsidio Dei, & per angelum eductus ex carce
re. Herodes, qui conculcatũ uoluit Euangelij dog
ma, fœdißimo mortis genere non multo post peri
it. Sed ad Iacobum redeamus, qui nulla alia de
caussa truncatus est, quàm propter prædicatio
nem de gratuita remißione peccatorum per Chri
stum contra iusticiã operũ legis. Cæterũ illa quæ
de translato corpore Iacobi à suis discipulis per

mare in Galiciam, deinde Compostellam in Hispanijs dicuntur, uaria & fabulosa commenta sunt Papistarum, tantum quæstus & commodi causa excogitata, contra Euangelium & doctrinam Iacobi de gratuita remißione peccatorum in nomine Christi, quam, dum uiueret, magna constantia docuit contra hypocritas operum.

DE S. ANDREA Apostolo.

ANDReas frater Simonis Petri fuit, ambo piscatores, & uocati à Christo ad munus Apostolicum, per occasionem, cum uterque nihil minus expectaret. Atq; hæc ipsa illorum uocatio fortuita commendationem continet misericordiæ & beneuolentiæ diuinæ, qua per Christum omnes uocamur ad cognitionem Dei, sine nostro merito tum, cum sumus peccatores et impij. Andreas itaq; per gratiam Dei factus Apostolus, diligenter audiuit cum reliquis Apostolis docentem Christum, credidit Euangelio, & iuxta præceptum Christi unà quoq; prædicauit, quamdiu adfuit Christo. Hæ sunt summæ laudes Apostolorum & omnium sanctorum. Interim

quod

quod ad ipsos & ipsorũ uitam attinet, nõ caret uitijs & magnis infirmitatibus, sed ultro dißimulat eas Deus propter Christum, id quod uidemus in Andrea & fratre eius Petro, & reliquis Apostolis, sicut in historijs Euangelicis clare expressum est. Porro post resurrectionem Christi mißo iam spiritu sancto, in alium locum alij Apostoli se contulerũt ad prædicandũ euangeliũ iuxta præceptũ Christi. Testantur itaq; historiæ docuisse Andream in Scythia, & inde eum in Achaiam græciæ partem deuenisse, ubi magna diligẽtia summoq; studio docuit Christum, & reiecto omni ueteri cultu idolorum plurimas parrochias instituit, quibus ueros prædicatores Euangelij præfecit. Cæterum fœlicem hanc Euangelicæ doctrinæ propagationem in Achaia indigne tulit Satanas. Accidit enim ut Aegeas proconsul, qui Romanorũ nomine administrauit Achaiam non solum improbaret & contemneret doctrinam Euangelij, sed manifeste etiam se pro sua autoritate opponeret, & tollere etiam prorsus conaretur, idq; ex publico mandato Senatus Romani & Neronis Cæsaris, atq; ut id commodius facere poßit, præcepit ut omnes pro ueteri consuetudine idolis immolarent, neq; discederent à recepto iam olim deorum cultu.

Atq; hic uelut aheneum murū se opposuit Andreas, & palàm restitit Aegeæ impio magistatui, inquiens. Tu qui magistratus es deberes merito illū Deum adorare, qui dedit tibi hanc potestatē, et nō cogere populū ad impium cultum idolorū. Hanc obiurgationem indigne ferens Aegeas dixit. Tu ne es ille impostor & seditiosus, qui eam doctrinā inuehis in has terras, quam publico maudato suo reprobauit Senatus Romanus? Atque hic simul magno quodam fastu incepit contemnere & deridere doctrinam de crucifixo Christo, existimans nihil uel absurdius uel stultius dici posse, quàm seruari homines debere per talem hominem, qui crucifixus esset. Sed Apostolus Andreas minime mutus ad hæc fuit, refellit enim omnes calumnias humanæ rationis contra hanc stultam doctrinam de Christo crucifixo, comprobauitq; ita fieri oportere, ut pateretur Christus, ut hoc modo seruarentur credentes in ipsius nomine. Sed his omnibus argumentis, & hac constanti confeßione Andreæ nihil commouetur Aegeas præfectus, sed dixit ad Andream. Quia tam magnificis crucifixum tuum Deum, ego te quoq; in crucē suffigā, ut experiaris quid sit contra ueterem cultum dei nouas opiniones de crucifixo tuo Christo in uulgus spargere. Atqui uero tantum abest hic expa-

uisse Andream, quòd etiam Deo gratias egerit quòd post tantas molestias & tot labores in officio prædicandi Euangelij per crucem posšit uitã suam finire Christi domini et præceptoris sui exemplo, & simul orasse dicitur Deum, ut nunc posšit hac occasione deserere præsentem uitam pro ipsius uoluntate. Proinde populo gratus Andreas ob synceram doctrinam, & innocentiam uitæ singularem, rapitur à Tyranno ad paratum supplicium. Sed hic alij lugent indignum casum boni uiri, alij per tumultum publicum eripere uolunt apostolum & pastorem suum ex tyranni manibus, atq; hic ingens propemodum tumultus, & publica quædam clades fuisset exorta, nisi Andreas ipse placide admonuisset populum, & concione sua sedasset populares turbas. Rogauit etiam populum, ne se priuaret hoc fructu suorum laborum. Nam hanc esse uoluntatem Dei, ut tandẽ prædicationẽ de Christo crucifixo cruce & morte confirmaret. Est itaq; pro cõsuetudine Romanorũ primũ cæsus, deinde incrucẽ suffixus, atq; ita placide in manus dei patris spũm suũ tradidit. Corpus honorifice sepultũ est, curãtibus id uxore præfecti Aegeæ, quæ cõuersa erat ad fidẽ euãgelij, et alijs pijs hoĩbus in Christũ credẽtibus.

DE SIMONE ET IVDA Apostolis.

SImon & Iudas apostoli eodem in loco & tempore apud Persidas paßi sunt propter doctrinam euangelij, ideoq; utriusq; commemorationem coniunctam uoluerunt olim maiores in ecclesia. Exemplum sane memorabile est in utroq; pro cõfirmatione doctrinæ euangelicæ, sed abusu & inscitia hominum imperitorum deprauatum est, sicut multa alia. Primum omnium quod ad utriusq; uocationem attinet, satis constat eos ad apostolatum per Christum euocatos eße, & in numero Apostolorum duodecim numeratos. Contigit autem illis hoc beneficium sine ipsorum meritis ex mera & singulari gratia dei per Christum, à quo ex impietate & tenebris ad lucem euangelij, & cognitionem Dei uocati sunt. Porro post ascensionem Christi, cũ iuxta præceptum Christi paßim in toto orbe prædicarent Apostoli Euangelium, contigit Iudæ apostolo primũ in Mesopotamia & Ponto regiõibus, Simoni uero in ægypto Euangeliũ prædicare. Deinde per occasionem ambo simul in Persiam peruenerunt, ubi cum syncere & summa cum fide docerent Christum contra impietatem et idolatriam gentium, & superstitionem operũ humanorum

manorum, concitauerunt in se Magos, sic enim uocabant suos sacerdotes Persæ. Etenim hi indignissime ferebant per nouam prædicationem apostolorum de crucifixo Christo suam autoritatem in populo eleuari, & plane reijci impium illum ueterē cultum Deorum, quem ipsi pro summa religione tradebant uulgo non sine ingenti suo commodo & quæstu. Et quia prospiciebant impij illi sacerdotes futurū esse per prædicationem Apostolorū ut ipsi destituti suis commodis et honoribus, quos ex cultu Idolorum percipiebant, esurirent tandē, instigarunt paßim uerbis & per epistolas præfectos templorum aduersus Christi Apostolos, & effecerunt tandem immodico studio & improbis sollicitationibus suis, quòd per publicum tumultū & seditionem oppreßi sunt Apostoli, & interempti. Sunt qui Simonem crucifixum scribunt, sed qualitercunq; sit, parum refert. Certum hoc est q, uterq; pro confeßione Christi & propter Euangelij prædicationem mortem sustinuerint. Est itaq; in hoc exemplo confirmatio doctrinæ Euangelicæ & bonorum operum. Docuerunt enim Christum, & in hoc sancto ministerio seruierūt proximo suo pro suæ uocationis ratione. Neq; enim uel Monachatus, uel aliorum portentosorum operū

ulla mentio est in his exemplis & ueris narrationibus de sanctis, qui in Christum crediderunt, eumq; docuerunt, non humana opera, & hoc nomine etiam paßi sunt.

DE S. MATTHIA Apostolo.

EX primo Actorum Apostolicorum capite constat Matthiam fuisse unum ex discipulorum numero uocatum à Christo ad cognitionem Euangelij, cuius & apostolus factus est, idq; sine suo merito, & cum nihil minus futurum esse speraret, estq; hic locus ualde consolatorius adflictis conscientijs quæ facilius in tẽtatiõibus acquiescunt uerbo Dei, cũ audiũt oẽs sanctos peccatores fuisse & ex gratia dei cõuersos ad Christũ, p quẽ et seruati sunt. Porro quanq̃ ad apostolatũ p Christũ ipsum non est uocatus Matthias, tamẽ quia nõ humano iudicio, sed sorte iuxta uoluntatẽ Dei delectus est in locum Iudæ proditoris, & cooptatus est in numerũ apostolorũ, præter suã et aliorũ expectationẽ, ideoq; hoc ipsum non minorẽ cõmendationem diuinæ gratiæ ac uoluntatis meretur, quàm si à Christo ipso ad Apostolatum uocatus fuisset. Apostoli enim nihil in hac causa priuata autoritate agentes, rem omnem per orationẽ Deo commiserunt. Atq; ita contigit, ut sorte eligere-

tur Matthias in numerum apostolorum. Cæterum post pentecosten digreßis Apostolis in alias atq; alias orbis partes, Matthias dicitur in Iudæa docuisse Euangelium. Sunt qui existimant ipsum in Aegyptum peruenisse, atq; ibi Christum prædicasse, & tandem morte affectum. Sed hæc ut uariant apud scriptores, ita incerta quoq; sunt. Illud autem certißimũ est, quòd non docuit aliud, quàm Euangelium Christi, iuxta mandatum Christi: Ite in orbem uniuersum & prædicate Euangelium. Item: docentes eos seruare omnia quæ ego præcepi uobis, atq; hoc etiã nomine Matthiam passum esse, & morte adfectum dubium non est, iuxta illud, quod Christus ipse futurum esse apostolis, atq; adeo omnibus ueris prædicatoribus prædixit Matth. 10. cap. propter confeßionem nominis sui. Est igitur in tota historia Matthiæ confirmatio quædam doctrinæ & fidei nostræ in Christum, quem ipse prædicauit alijs, & per quem ipse seruatus est sine suorum operum fiducia.

E S. BARTHOLOMAEO Apostolo.

IDEM sentiendum est de uocatione Bartholomæi ad Apostolatum, quod de alijs Apostolis. Quanquam enim nihil certi in

Euangelicis literis scriptum extat de occasione, per quam uocatus est à Christo, tamen ex mera gratia & iuxta beneplacitũ Christi sine suo merito uocatum esse certissimum est aliorum apostolorum exemplo, proinde mire consolatorius est hic locus de uocatione Bartholomæi, atq; adeo omniũ aliorum Apostolorum, ut non dubitent adflictæ conscientiæ per solam gratiam Dei seruatos esse omnes sanctos, & neminem suo merito, & propter suam dignitatem conuersum esse ad cognitionem Christi, sed ex gratia miserentis Dei tantum, ideoq; cõsolari nos debent hæc exempla sanctorũ, ne propter peccatum & infirmitates nostras desperemus. Nam illas ultro dissimulat & ignoscit nobis Deus, modo credamus in Christum, & ab eius uerbo nõ discedamus, & ad fiduciam operũ nostrorum prolabamur. Tolerauit enim multa Christus in discipulis & apostolis sæpe, qui non uulgariter infirmi fuerunt, sed grauissime etiam errarunt nonnunquam. Sed hæc de uocatione Bartholomæi Apostoli. Cæterum post missionem spiritus sancti cum alij Apostoli in alias orbis partes concessissent ad prædicandum Euangelium iuxta mandatum Christi, Bartholomæus in Indiæ citerioris partes peruenisse dicitur, ibiq; magna fidutia & liberta

& libertate Euangelium docuit, et prædicatione sua tantum promouit per gratiã Dei, ut intra breue tempus omnis celebritas & cultus idolorum collaberetur, & ueniret in contemptũ. Erat enim tum temporis summa superstitio & incredibilis quædam impostura Satanæ in eo populo. Nam in templis quibusdam idola erant ex quibus palam responsa & oracula dabat diabolus sub prætextu ueri dei, ideoq́; in illis locis frequentißimus hoĩm conuentus & concursus erat, nã & male habẽtes curati sunt in ijsdem locis arte Satanæ, tanquam beneficio ueri dei. Cæterum ubi cognitio Christi ex aßidua prædicatione Bartholomæi innotescere populo cœpißet, nõ solum admiratio idolatriæ cadere cœpit in hominum animis, sed etiam obmutescens diabolus ilico neq́; loqui, neq́; responsa dare & curare infirmos pro ueteri suo more amplius potuit. Accidit itaq́; cũ ingrederetur tẽplũ quoddam Bartholomæus, in quo idolũ Astaroth cognominatum colebatur, quod propter oracula, & curationem infirmorum celeberrimum erat, interrogatum ab hominibus, qui ex longinquo aduenerãt auxilij & consilij capiendi causa, nullum omnino responsum dare potuit. Porro causam silentij quærentibus alio in loco ab alio idolo quodam, ex quo

item diabolus loquebatur, responsum est, propter præsentiam & nouam doctrinã hominis peregrini cuiusdam ipsam obmutuisse, & sibi quoq; ac alijs dijs regni idem periculum imminere, nisi in tẽpore hominem è suis finibus propellant, proinde contrarijs & dißentientibus iudicijs ac sententiis animorũ, alij probare Bartholomæum & eius doctrinam, alij rursus contemnere & palàm damnare cœperũt. Adfuit autem dominus prædicationi Bartholomæi, eãq; signis & præsentibus miraculis confirmauit. Id uero indigne ferẽtes templorũ præfecti, & sacerdotes idolorum odiosißime traducunt & accusant Bartholomæum ac eius doctrinam apud regem Indiæ. Quòd homo peregrinus & impostor arte magica instructus omnem ueterem cultũ deorum subuertat, & publicã tranquillitatem regni perturbet, & futurum esse, ut nõ solum deorum cultus & uetus religio, sed ipsius regis quoq; autoritas labefiat et prorsus intercidat, nisi homo ille peregrinus & impostor èmedio q̃primum tollatur. Hac persuasione grauiter accensus et commotus rex misit apparitores suos ad cõprehendendum apostolum Bartholomæũ, & cũ adduxissent eum, ait magna cũ indignatione rex: Tu ne es ille impostor, qui cultũ & religionẽ deorum in

rum in hoc regno meo labefactare studes, & præterea fratrem meũ euertisti doctrina tua? Erat enim frater regis conuersus ad Christũ per prædicationem Bartholomæi, et filiã eius lunaticã sanauerat apostolus. Ad quod respõdit Bartholomæus. Ego non euerti fratrem tuum o Rex, sed conuerti potius. Ad quod rex. Ego, inquit, ita te tractabo ut sicut fecisti fratrẽ meũ relinquere deum suum, & tuo credere, ita tu quoq; deseras tuũ deum, & meo deo sacrificia offeras. Cui apostolus, Ego, inquit, Deũ quẽ colebat frater tuus, obmutescere feci, & ostendi inane simulachrũ esse. Quòd si ad eundẽ modum refellere poteris doctrinam meam de Christo, facile equidem in tuam sententiam cedam. Interea dum hæc ita minatur rex Bartholomæo apostolo, nunciatur denuo p alios quosdam regi in multis alijs regni locis deorũ cultum & simulachra itẽ cecidisse. Quod ubi audiuit rex præ nimia animi indignatione purpurã, qua erat indutus, discerpsit, & apostolum fustibus cædi iussit, & cæsum uiuũ excoriari præcepit, tutatusq; est Bartholomæus confeßionem Euangelij magna constantia ad finem uitæ usq;.

DE S. NICOLAO EPISCOPO.

Testimonia ueri Episcopi extant in historia de sancto Nicolao, ideoq; digna est, quæ

propter exemplum tractetur etiam in ecclesia, ut intelligant homines pij, quod officium olim habuerint ueri Episcopi in ecclesia, & quod hac nostra ætate tantū ferè hæreat episcoporum titulus in illis homnibus, qui nomen Episcopale tātum sibi usurpant, & nulla cura aut cogitatione ueri episcopalis officij tanguntur. Nicolaus qualis fuerit Episcopus ex ipso annorum ordine facile intelligi potest. Vixit enim in Episcopatu tēporibus Constantini Cæsaris, et in Mirea celebri ciuitate Lyciæ Episcopus fuit. Cæterū ut præclaras uirtutes sancti uiri clarius cognoscamus, ordine singula recēsebimus. Natus est Nicolaus in florētißima olim Lyciæ regionis Patara urbe, ex honestis & opulentis parētibus Puer adultus iam destinatus est à primis annis ad discendas literas, fuitq; ab ineunte ætate in primis studiosus pietatis. Nam sententias scripturæ sacræ, quas uel in schola uel in publicis contionibus audierat ediscere solebat, atq; in huius rei studio tantopere feruebat puer, quòd quando reliqui eiusdem ætatis adolescentes dimißi à præceptoribus lusibus operam dabant, ipse se plerunq; ab illis subducebat, & conferebat se in Ecclesiam, ut sacras lectiones audiret. Nam illæ tunc temporis publice in Ecclesia tractabantur, quibus

tur, quibus postea propter imperitiam hominum cantus horarum Canonicarum successerunt. Fuit itaq; hæc indoles ingenij, & hoc studium pietatis in Nicolao, quod singulari quodam beneficio Dei contigisse illi non est dubium. Et quia natura ducebatur adfectu quodam erga religionem, certum est non deseruisse eum hoc suum institutum in perdiscenda scriptura sacra, in qua haud dubie constituit ætatē suam consumere. Proinde mortuis parentibus nihil per ambitionem aut insolentiam tētare cœpit. Nā contentus relictis à parentibus opibus, delegit priuatim honeste uiuere, ducta haud dubie in matrimonium uxore honesta pro ratione illorum temporum & pro studio suo erga pietatē. Neq; uero uana quadam persuasione addictus fuit pietati, sed studuit eam re ipsa etiam & bonis operibus in iuuādo proximo suo exornare. Vltro enim de suis facultatibus inopia laborantibus subueniebat, & inter hæc officia charitatis illud præcipuum exemplum commemoratur, quod conciui cuidam inopi tres filias iam nubilas habēti, tantū pecuniæ tribuit, quantum satis esse posset ad honeste collocandum puellas in matrimonium. Et hæc sunt uera bona opera quæ scriptura ex fide tanq̄ ex arbore fructus dicit prouenire. Iam uero cum

iuxta præscriptam regulã Pauli de eligendo episcopo haberet Nicolaus eruditionis & pietatis probatum testimonium, accidit quòd mortuo Mireæ urbis episcopo, ipse per occasionem in episcopum sit designatus, idq́; contra ipsius uoluntatẽ. Nam cũ isto tempore nemo facile reperiretur aptus ad hoc officiũ, et qui suscipere uellet ob grauitatem tanti muneris, præsertim isto tempore, quo non solũ persecutionibus sed uarijs quoq́; hæresibus et sectis ecclesia oppugnabatur, cõstitutũ itaq́; erat inter episcopos et presbyteros alios, ut quicunq́; sequenti die primus in tẽplũ ueniret is episcopus ordinaretur, et cũ iam seduli in oratiõe fuissent episcopi cũ reliquis hoĩbus pijs tota ea nocte, ut dominus uirũ pium in meßẽ suam extruderet, accidit ut Nicolaus ignarus huius cõuentiõis summo mane ueniret ad tẽplum oraturus cũ alijs pro successu ecclesiæ in eligẽdo episcopo, itaq́; ipse hac occasione episcopus statim designatus est. Et quanq̃ sedulo reluctaretur, agnosceretq́; se indignũ hoc tanto munere, tamẽ præter suã uoluntatẽ episcopatũ suscipere coactus est, et qui ciuis iã erat antea, gubernationẽ ecclesiæ suscepit, et hinc est quoq́; q̃ S. Nicolaus olim uulgo dictus sit ein leyen bisschoff, nõ q̃ fuerit laicus indoctus & homo

et homo stupidus, sed qui ex priuato ciue publicus Ecclesiæ supintendēs ac pastor factus sit. Nulla hic fit mētio de cœlibatu sacerdotū ac redimēdo pallio, et emēda cōfirmatiōe à pōtifice Romano. Neq; enim fuit isto tpe tanta autoritas Papæ, quanta nunc est sine iure et autoritate uerbi dei. Porro postquam publicæ gratiæ actæ sunt deo pro inuento episcopo, & cura ecclesiæ gubernandæ cōmissa est Nicolai ab episcopis & presbyteris, summa cura aduigilauit ut iuxta præscriptū Pauli officijs ueri præsulis fungeretur. Nā quod ad potißima officia epscopi attinet, sedulus fuit in orādo, diligēter meditabatur in sacris literis, efficax erat in docendo, alacer in exhortando, & arguebat cū omni præcipiendi studio, ut sana doctrina fidei & bonorum operū cōseruaretur. Hic uero si temporum et annorum statum consideres, nō dubium est pium uirum grauißima certamina sustinuisse cōtra inualescentes hæreses Arrij & aliorum, nonnunquam etiam se magnis periculis obiecißе propter salutem ecclesiæ suæ. Quod attinet ad uitæ mores exemplar gregis commißi fuit, uixit enim sobrie & frugaliter. Omnibus se æquabilem præbuit, & quantum in ipso erat inopia laborātes adiuuit. Memorabile in primis

hoc est exemplum, quod narratur de diuo Nicolao, qui, cum eßet publica fames in Lycia regione audiuit forte appulisse in portum naues frumento onustas, adijt ipse nautas rogans, ut aliquantum frumenti quisq; ex sua naui uenderet in subsidium populi, quod illi se non posse facere adfirmabant, nam mensurã frumenti acceptam reddendam esse Cæsaris præfecto in alia quadam urbe. Ille nihilo minus instabat orans, ut facerẽt quod ab ipsis peteretur. Ecce, inquit, promitto uobis curaturum Deum, quòd nullam frumentorum diminutionem sentiet Imperatoris exactor. Dominus .n. qui dixit: Date & dabitur uobis, efficere potest, ut propter hoc beneficium nihil decedat frumẽto, id quod factum quoq; est. Nam acquiescentes nautæ uerbis & persuasionibus Episcopi Nicolai subuenerunt hominibus fame periclitantibus, & postea cõpererunt eandem mensuram frumentorum beneficio Dei singulari conseruatam esse, & integram adhuc in reddendo ministris Imperatoris. Obseruatu dignißimum hoc est exemplum, & minime contemnendum, quippe quod testatur Christi promißionem ueram esse. Date & dabitur uobis. Vsu enim comperimus, beneficia collata in usum indigentis proximi à Deo cumulatiori mensura

reddi

reddi. Cæterum grādæuus iam Nicolaus Episcopus & ætate & laboribus fessus, ægrotare cœpit, & cum sensit ob corporis nimiam debilitatē iam finem uitæ suæ adesse, conuocatos fratres et presbyteros docet ac hortatur, ut à sana doctrina fidei non discedant: ac ipse non multò post tradidit spiritum suum in manus patris. Sunt qui affirmant interfuisse ipsum Niceno Concilio, sed incertum est. Apparet enim grandiori ætate fuisse Nicolaum, & iam sub ipsum tempus Nicenæ Synodi mortuum.

DE SANCTO BLASIO Episcopo.

IN historia de sancto Blasio Episcopo multa sunt portentosissima mendacia, ideoq; cum iudicio ea tantum excerpenda nobis sunt, quæ cū sacris literis, & doctrina Euangelij consentiunt. Primum itaq; cum haberet Blasius inter Christianos magnam pietatis & modestiæ commendationem, electus est uno consensu Christianorum in Episcopum in Sebastia Cappadociæ ciuitate. Porrò suscepto Episcopatu, Euangelium de Christo prædicauit, ac omnem ueterem cultum et religionem deorum reiecit. Proinde propter tyrannidē

& persecutionem Diocletiani in Christianos, deserere suum ministerium, & in locum solitarium profugere coactus est. Cæterum repertus tandẽ à Cæsarianis, adduci non potuit, ut idolis sacrificaret, sed intrepide Christum confessus est, damnans omnem superstitionem & idolatriam gentium. Qua de caussa primum coniectus est in carcerem, & cum confeßionem Christiani nominis constanter tueretur, ad supplicia raptus est, & tandem capite truncatus. Quæ aßcripta sunt de miraculis, & de petitione eius pro laborantibus dolore gutturis, omnino sunt fabulosa & impia, contra primum & secundum præceptum decalogi, & totam doctrinam de Christo unico seruatore nostro, quamdum uiueret, prædicauit Blasius.

EXEMPLA SELECTIORA sanctorum patrum & Episcoporum ueteris Ecclesiæ ex historia Ecclesiastica & Tripartita.

DE SANCTO POLYCARpo discipulo Apostolorum.

Polycarpus

POLYCARPVS Smyrnensis Ecclesiæ Episcopus fuit, & omnes Episcopos sui tẽporis in Asia singulari doctrina & authoritate sua antecelluit. Natura ingenio sedato & moribus placidißimis fuit. In docendo Euangelio ratione et methodo simplicißima usus est. Nam hoc solum conari solebat, ut ab Apostolorum doctrina, & forma sanorum uerborum scripturæ ne tãtillum quidem discederet. Proinde hoc suo exemplo & hac ratione in docendo plurimum profuit Polycarpus, non solum Smyrnensium Ecclesiæ, sed totius Asiæ Ecclesiis, nam hæ secutæ sunt hunc morem Polycarpi in tractandis rebus sacris. Et quia syncere et fideliter docuit Euangeliũ, ideoq; acerrimos hostes habuit Valentinũ et Martiũ hæreticos, cũ quibus grauißima ei sæpe cõflictatio fuit pro defensione Euãgelij. Et cũ uideret eos pertinaciter impios esse, & blasphemos in Christum, neq; spem aliquam esse post tot admonitiones, ut redirent in uiã, summopere uitare studuit consuetudinem Valentini & aliorũ hæreticorum, idq; exemplo Ioãnis Apostoli, qui cũ apud Ephesum balnea lauãdi gratia fuisset ingressus, uidissetq; ibi Cherintum, discessit continuo non lotus, dicens; Fugiamus hinc, ne & balnea

ipsa corruant, in quibus lauat Cherintus ueritatis inimicus? Idem prorsus Polycarpum fecisse ferunt, nam cum Marcioni aliquando uenisset obuiam dicenti sibi, Agnosce nos Polycarpe, respondit, Agnosco sed primogenitum Sathanæ. Etenim tunc Apostoli, atq; eorum discipuli, tanta sollicitudine & studio in religione utebantur, ut ne uerbi quidem communionem cum aliquo eorum, qui à ueritate deuiauerant, habere uellent, idq; haud dubie ex præcepto Christi & consilio Pauli, qui rectißime docuit, post unam atq; alteram admonitionem hæreticum hominem uitandum esse. Porrò non concionando solum, sed scribendo etiam studuit Polycarpus prodesse Ecclesiis, existimans haud dubie utrunq; hoc ad ueri Episcopi munus pertinere. Extat enim epistola Polycarpi ad Philippenses scripta, in qua doctißime & grauiter formam quandam Christianæ doctrinæ & uitæ expreßit. Sed hæc de officio Polycarpi in Episcopatu dixisse satis sit. Quãdo uerò sub Antonino Cæsare de multis Christianis ob profeßionem Euangelij supplicium sumptum est in Asia, & plurimorum exempla iam testarentur Christianorum gentem magna constantia subire mortem, conclamatum est per publicum tu-

multum

multum de requirendo Polycarpo, utpote magĩstro huius nouæ sectæ, & qui suis persuasionibus animaret alios ad constantiam in ferenda morte. Polycarpus itaq; primo quidem cum audiret uulgus in se acclamationibus excitatum, in nullo penitus commotus est, sed mansit impauidus: Et cum in eadem illa ciuitate interritus permanere uellet, acquiescens tamen deprecantibus se familiaribus suis, in agrum quendam ciuitati proximũ secedit, atq; ibi cum paucis die noctuq; nihil aliud agit, quàm quòd in orationibus permanet, pro pace Ecclesiarum, quæ ubique sunt, supplicans deo. Nã hic mos erat ei ut oratiõi quàm plurimũ uacaret. Accidit.n. aliquando quòd cum publica quædã seditio, et tumultus eẽt exortus, ipse pro suo more accinxit se orationi, pro pace reipublicæ, & deinde progressus in conspectum multitudinis facundia sua, quæ in eo singularis erat, tumultum compreßit. Cæterum iam in oratione positus Polycarpus, ante triduum quàm comprehẽderetur, uisionem uidet per noctem, ceruical capitis sui flammis esse consumptum, cumq; euigilasset post uisum, interpretatus est astantibus fratribus suis somnium suum, dixitq; pro certo se propter Christum per ignem uitæ exitum sortiᵃ

turum. Imminente igitur quæstione rursus charitate fratrum compulsus commigrauit in alium locum, quò non multò post inquisitores eius perueniunt, cũ iã declinaret dies. Et ingreßi ipsum quidem offendunt in superioribus quiescentẽ, quod ubi animaduertit aufugere noluit, dicẽs uoluntas domini fiat. Quinimo cũ cõperisset adesse cõprehensores suos, in occursum eis progressus, læto admodũ uultu ac placido sermõe cõpellare uiros cœpit, ita ut non parum illi mirarentur et stuperent, quid tantũ studij fuerit, ut uir illius grauitatis & honestatis in tam longæua ætate & tanta uitæ authoritate positus perquiri et comprehendi iussus sit. Sed ille nihil moratus continuo apponi mẽsam hostibus tanq̃ hospitibus iubet, atq; eis epulas largius ministrari, idq; duplici de caussa, ut exhiberet beneficiũ etiã hostibus suis, iuxta Christi præceptũ, deinde ut unius horæ spaciũ orationis gratia ab eis impetraret. Orabat enim tãta dei gratia repletus, ut admirarẽtur oẽs, qui aderãt, & ipsi qui ad comprehendendũ eum uenerant pœnitentia ducerentur, quòd tam honestũ uirũ ac deo dignum, & ipsa ætate uenerabilem, rapere iuberentur ad pœnam. Postea uerò quàm finiuit orationem, & instante iam hora progreditur, & asi

no

no iam insidens ad ciuitatem ducebatur, cum esset dies magni Sabbathi. Aduenienti ei occurrit præfectus Herodes nomine, & pater eius Nicetas, qui leuantes eum secum in uehiculum, persuadere sedulo conabantur dicentes: Quid enim mali aut periculi est, dicere deum Cæsarem, & immolare, & de cætero securum uiuere? Polycarpus uero hæc primo tacitus audiuit, sed ubi persistebant, ait ad eos: Quid opus est multis? non sum facturus quod exigitis. At illi postquam nihil se proficere senserunt, indignatione commoti cum contumelia eum uehiculo deturbant, ita ut pedem læderet præceps actus. Sed dißimulata iniuria illa, alacriter pergebat ad stadium, quò duci fuerat imperatus. Et cum iam peruenisset ad proconsulem, qui ei rei præfectus erat à Cæsare, interrogatur ab eo, an ipse esset Polycarpus. Se esse confitetur. Ergo, inquit, habeto ætatis tuæ reuerentiam, & parcens ultimæ senectuti tuæ, iura fortunam Cæsaris, & dic in Christum conuitia & dimitto te. Respondit ad hæc Polycarpus. Sex & octoginta anni sunt, quibus seruio Christo meo, qui nunquam ulla in re de me male meritus est,

& quomodo obsecro nunc illi maledicere & blasphemare regem meum queam, qui salutem mihi dedit? Cumq; rursum uehementius urgeretur, ut fortunam Cæsaris iuraret: Si hanc, inquit, iactantiam quæris ut ego fortunam Cæsaris iurem, & quis sim ignorare te simulas, cum omni libertate audi à me, quia Christianus sum? Si uerò rationē uis Christianæ religionis accipere, statue diem et audi. Proconsul dixit. Vides ingenti tumultu concitatum in te populū esse, ideoq; tu suade hoc populo, ut consentiat. Respondit Polycarpus, tibi quidem respondi. Docemur quidem principibus & potestatibus ijs, quæ à Deo sunt, honorem deferre, eum scilicet, qui religioni non sit contrarius, populo autem furenti satisfacere nō est meū. Proconsul dixit. Bestias paratas habeo quibus obijcieris nisi cito pœnitueris. At ille respondit, adhibeantur, nobis enim inmobilis stat sententia. Nec possumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari. Melius autem erat si hi mutarētur ad bona, qui perseuerant in malis. Tunc proconsul, igni te, inquit, faciam consumi, si tibi bestiæ contemnendæ uidentur, nec propositi recipis pœnitudinē. Ad hæc respondēs Polycarpus inquit, ignem minaris hunc, qui ad momentum in

cenditur,

cenditur, et paulo post extinguitur, quia ignoras futuri iudicij æternum ignem, qui ad perpetuas pœnas impiorum præparatus est. Sed quid moraris? Adhibe utrum uoles. Mihi quidem ne grauiora etiã pro gloria Christi ferre difficile erit. Hæc & multa alia his similia dicens Polycarpus, confidentia simul & læticia replebatur, ita ut alacritatem uultus eius responsionumq; constantiã proconsul maximo stupore admiraretur. Misso igitur Curione ad populum, iubet uoce maxima protestari, Polycarpum constanter confessum Christianum se esse. Tum uerò uniuersa multitudo tam gentilium, quàm Iudæorum Smyrnensium ciuitatis cum ingenti furore clamauit, tollendum plane è medio, & igni subijciẽdum esse. Nam hic est, inquiunt, totius Asiæ doctor & pater Christianorũ, & huius culpa fieri, quòd uetus religio, et iã olim receptus cultus deorũ collabatur. Extructus est itaq; rogus lignis celeriter, uel de balneis uel de alijs publicis quibusq; locis allatis, præcipue p Iudæos qui ardẽtius ad hæc, pro more suo, feruebant. Tum uerò depositis senior indumentis ac zona resoluta, calciamenta quoque pedibus tentabat educere. Vt ergo expedita sunt quæ ad ignem pertinebant, cum eum uellent rogo impos

tum etiã clauis affigere, ait, sinite me. Qui enim dedit mihi ignis supplicium ferre, dabit ut & sine clauorum affixione flammas immobiliter perferam. Tum illi omißis clauis, uinculis usi sunt solis, quibus post tergum manibus reuinctis uelut electus aries & ex magno grege assumptus, acceptabile holocaustũ omnipotenti deo oblatus est. Aiunt autem hanc fuisse ultimam orationem, quã ad deum habuit, priusquam ex hac uita excesßit: Deus dilecti et benedicti filij tui Iesu Christi pater, per quem tui agnitionem suscepimus, deus angelorum & uirtutum & uniuersæ creaturæ & totius iustorum generis, qui omnes coram te uiuunt, benedico te, qui me in hanc diem atq; in hanc horam perducere dignatus es, ut particeps existerem martyrum & calicis Christi tui in resurrectionẽ uitæ æternæ, animæ ac spiritus mei, per incorruptionem spiritus sancti, in quo suscipiar hodie in conspectu tuo tanquam pingue sacrificiũ et acceptabile, quod à multis iã seculis præparasti tibi. Verus es tu & sine mendacio deus, propterea & in omnibus laudo te, & benedico te, et glorifico te per æternũ deum et Pontificem Iesum Christum dilectum filium tuum, per quem & cum quo tibi cum spiritu sancto gloria

nunc

nunc et in infinita secula seculorum. Amen.

DE COINTHO QVI PArum constans martyr fuit.

ACCIDIT eodē tēpore, quo passus est ob Euangelij de Christo confeßionē Polycarpus Episcopus, quòd Cointhus quidā natione Phryx, qui nō multò antea de suis regionibus aduenerat in Asiam, sua sponte obiecit se paratis supplicijs in Christianos Siue enim pietatis quodā zelo, siue humana quadā præsumptiōe adductus, cōstituit fortißimo aīo pro Christi noīe quoduis tormēti genus subire et ppeti. Primū itaq; cœpit bestias, cæteraq; tormēta spōte laceßere, deinde ueluti fractis aīs cedere, tādē etiā salutē segnitia pdere. Nā absterritus horrēdo spectaculo suppliciorū turpiter abnegauit confeßionem Christi, et cultū idolorū imminētis pœnæ formidine approbauit. Testabatur igitur hic euētus eū ad martyriū procatia potius at temeritate q̄ constantia et certitudine fidei prosiluisse. Ipse nāq; sese iudicijs ingeßerat sine neceßitate, & nō requisitus à iudicibus. Proinde uictus omnibus exēplū euidēs dedit, cautius ī rebus talibus et circūspectius agendū esse, quia nō temeritas & præsumptio, sed fides et modestia in cruce persistit.

& tandem coronatur. Etenim Pauli Apostoli & aliorum sanctorum exempla in scripturis testantur, quòd per occasionẽ sæpe cesserint furori impiorum, & non temerè coniecerint se in pericula præter necessitatem.

DE POTAMIENA uirgine.

ORIGENES apud Alexandriam diligẽter & pie admodum in Catechismo docendo frequentem & famosam scholam habuit. Erat enim illis tẽporibus hic mos in Ecclesia, ut in bonis literis discẽdis, et in cognitiõe pietatis recte instituueretur iuuẽtus. Proinde habuit Origenes inter reliquos suæ scholæ auditores et discipulos nobilẽ quãdam puellã, cui Potamienæ nomen erat, ingenio & pietatis studio insignem. Etenim ut de castitate morum & pudicitia nihil dicam, quæ in ea singularis erat, nemini discipulorum siue ingenium siue doctrinam spectes, cessit. Sed quia illis temporibus magna atque crudelis persecutio erat in Christianos, Aquila tyrannus tum Alexandriæ et summus hostis fidei Christianæ, iussit Potamienam discipulam Origenis

in ius uocari. Indigne enim ferebat nobilißimam puellam ad Christianæ religionis professionē desciuisse & deorum cultum receptum iam longa consuetudine improbare. Itaq; morti eam adiudicauit, iußitq; omni genere contumeliæ atque crudelitatis affici. Neque enim satis erat illi unum aliquod supplicium, nam curârat impurus et sceleratißimus princeps, ut essent etiam qui moderatißimæ & castißimæ puellæ pudicitiam attentare conarentur. Sed id tum ne fieret prohibuit ex carnificibus quidam, cui Basilides nomen erat, nam hic omni ui, ne tāta in ipsam turpitudo committeretur, restitit. Tandem uerò cū iam probris, conuicijs & maledictis plurimorum probe exagitata esset, carnifices ad uoluntatem & in gratiam Aquilæ tyranni picem calidam per artus ac membra omnia ipsius diffuderunt, atque ita in constanti confeßione fidei, alacri uultu & imperterrita expirauit.

DE APOLLONIA uirgine.

DIONYSIVS Alexādrinus Episcopus, ad Fabianum Antiochenum Episcopum

scribit, multos ob Christiani nominis professionē passos esse apud Alexandriam temporibus Decij Imperatoris. Etenim præter Imperatoris mandatum de perdendis Christianis, magus quidam et sacerdos idolorum persuasionibus suis ita commouit superstitiosum uulgus Alexandrinum contra Christianos, ut nihil aliud sitiret, quàm piorum sanguinem, atq; hunc furorem impiæ multitudinis auxit mandatum Imperatoris Decij. Itaque palàm grassati sunt Alexandrini in Christianos, adeo etiam, quòd nemini qui profitebatur nomen Christianum tutum erat eo tempore persecutionis exire in publicum. Porrò inter multos alios, qui crudelissimis supplicijs adfecti sunt propter Christum, corripuerunt homines impij & insani Apolloniam uirginem longææ ætatis, & pietatis admirandæ, huic primo omnes dentes effoderunt, deinde congestis lignis extruxerunt rogum, comminantes se eam incensuros nisi cum ipsis pariter impia uerba proferret, et idolorum receptum cultum approbaret. At illa nihil minus se facturā dixit, & simul intrepide ad ignem, quem minabantur, accessit ultro expetens pro gloria Christi mortem subire, ità ut perterrerentur etiam ipsi crudelitatis authores,

quòd

quòd promptior inuenta est ad mortem fœmina, quàm persecutor ad pœnam.

DE MARINO martyre.

Marin9

GRAVIS persecutio extitit in Christianos tēporibus Valeriani Cæsaris. Is enim primū amplexus doctrinā Euāgelij amare et fouere solebat Christianos, sed postea ꝑ doctorem quendā impiū et magistrū ac principem Aegyptiorū magorū seductus, iußit Christianæ religionis sectatores perdi et interimi. Proinde in his persecutiōibus Valeriani apud Cæsareā Palestinæ, multa à diuersis martyria cōsummata sunt, inter quos uir militaris, et ciuis Ierosolymitanus fuit, cui Marinus nomē erat, huic ī urbe Cæsarea inter collegas suos ꝑ ordinē gradus sui cū dignitas quædā militaris deferretur propter uirtutē, inuidia statim subit in ipsius collegā proximū, quòd indigne ferebat Marinū sibi anteferri. Exclamauit igitur nō posse Marinum adipisci superiorē gradū, eò quod Christianus esset. Interrogatur à iudice Marinus, si ita res se haberet. Ille ita esse, & uerè se esse Christianum clarißima uoce testatur. Decernit iudex ut intra trium horarum spacium deliberet secū, an uelit immolare dijs &

Imperatori, an Christianus interimi. Cumq; à tribunalibus fuisset egressus, Theotecnus Episcopus loci apprehensa manu eius perducit eum ad Ecclesiam, ibiq; multis uerbis eum confirmans in fide ad ipsum altare tandem perducit, gladiumq; suum, quo erat præcinctus, ostendens ei, & rursus offerens Euangelium, interrogat utrum è duobus mallet, an momentaneam illam dignitatē militarem eligere, an pro gloria Christi mortem oppetere. Atqui uerò Marinus promptißima fide cum manum ad Euangelium tetendißet, obtine, inquit Theotecnus, quod elegisti ô fili, & contemnens præsentem uitam, æternam sperato. Cōfidens perge, & suscipe coronam, quam tibi dominus præparauit. Reuersus continuò ad tribunal, euocatur per præconē. Aderat enim iam destinatum trium horarum tēpus. Ille uerò nec moras patitur, nec expectat interrogantem, sed cōtinuò sibi & deliberatum asserit, & ex paternis legibus confirmatum, quòd deo obtemperare magis oporteat, quàm hominibus. Proinde illico pronunciat iudex illum capite puniendum pro tali responsione.

DE PETRO
martyre.

Quanquam

QVanquam Diocletianus Imperator crudelißime insectatus est Christianos, tamen inter ipsos aulicos ministros fuerũt nõ solum qui amabant doctrinam Euangelij, sed qui in eius cognitione optimè & piè instituti erant, atq; ex illorũ numero Dorotheus erat, qui præerat cubiculo Imperatoris. Sodales hic habuit Petrũ & Gorgoniũ in officio. Porro cum iam ageret Diocletianus apud Nicomediam, ibiq; sæuißimo edicto publicato contra Christianos crudelißima quæq; supplicia intentaret omnibus Christianam fidem profitentibus, cœpit Petrus palàm improbare impietatem & tyrannidẽ Cæsaris, cuius iussu statim eductus est in medium, eiq; mandatum est autoritate & nomine Imperatoriæ maiestatis, ut dijs immolaret & doctrinam de Christo contemneret. Quod cum facere recusat Petrus minister Cæsaris, ilico imperatur appendi & flagris toto corpore laniari, uidelicet ut doloris uehementia adactus faceret, ad quod uerbis & mandato Cæsaris adduci se ultro non sustinebat. At ille cum maneret in sententia animi sui immobilis, uisceribus iam pelle nudatis iubetur aceto ac sale perfundi. Cumq; eciam hoc tormenti genus constanter ac fortiter tolerasset,

craticula prunis subterstrata poni iubetur in medio, ibiq; quod reliquum fuerat in uerberibus absumpti corporis superponi, & non ad subitum, sed sensim paulatimq; succendi, quo scilicet pœna diutius differretur, cumq; ministri scelerũ hinc modo corpus, modo inde uersantes per membra singula pœnas inciperent, & supplicia renouarent, sperantes ab eo elicere se posse consensum, ille firmius in fide & plane ouans in spe consumptis iam & igne resolutis carnibus suis, ultimũ spiritum in fide lætus exhalat. Tali Petrus aulicus & minister familiaris Diocleciani Cæsaris, martyrio decoratus uerè Petri apostoli extitit & fidei hæres, & nominis. Porro Dorotheus & Gorgonius cum Petrum in communi fide, & officio simul socium suum tam crudelibus atq; immanibus & barbaris supplicijs cruciari uiderent, constanter & libere adeunt Cæsarẽ: Cur punis, inquiũt, imperator in Petro fidem & mentis sentenciam, quæ in nobis omnibus eadem est? Vt quid in illo crimen ducitur, quod nos omnes ex æquo profitemur? Hæc enim fides nobis, hic cultus, & eadem sententia est. Imperator nihil hac libertate suorum familiarium in confitendo Christo commotus, iussit illos quoq; in medium uenire, ac similibus

bus penè supplicijs adstrictos, tandem laqueo appensos necari demandauit.

DE PHILEA EPISCOPO in Aegypto.

EODEM hoc tempore Diocletiani Cæsaris, quanta crudelitate sæuitum sit in Christianos apud Thebaida & in Aegypti partibus, id omnem narrationem & fidem superat. Testatur enim Eusebius se in Aegypto suis oculis inspexisse, quòd sedenti pro tribunalibus sæuissimo præsidi offerrētur innumeri fidelium populi, quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos esse, capite plecti iubebat. Videbam inquit Eusebius, fessos residere carnifices, uires resumere, animos reparare, mutare gladios, diem quoq; ipsum non sufficere ad pœnam. Nullus tamen ex omnibus ne paruulus quidem infans deterreri potuit à morte. Sed hoc singuli pauescebant, ne forte dū properum sol uergens diem clauderet, separatus à consortio martyrū remaneret. Sic cōfidētia fidei cōstanter & cū læticia mortem præsentē uelut æternæ uitæ principia rapiebant.

Deniq; dum priores quiq; iugularentur, reliquí non desidiæ aut torpori animos indulgebant, sed psallentes & hymnos Deo canentes locū quisq; sui martyrij expectabat, ut hæc agētes in dei laudibus extremos eciam spiritus exhalarent. Neq; uero mirum fuit hanc tantam turbam Christianorum tali constantia mortem oppecijsse pro gloria Christi. Nam episcopum & doctorem talem habebant in Euangelio, qui doctrina & uitæ exemplis ipsos in omnibus præibat. Erat autem illi nomē Phileas, & fuit Episcopus urbis illius, quæ appellatur Thmuis. Quod ad pietatem attinet, summus erat in cognitione Christi. quòd ad personæ & generis commendationem, nobilis ciuis Romanus erat, & qui primis in Romana republica honoribus fuerat functus. Eruditione quoq; liberalium literarum, & omnibus quæ ad animi uirtutē pertinent exercitijs, apprimè instructus. Theologiæ studio quod præcipuum est, & anteponendum omnibus, ita se addixerat, ut omnes qui præcesserāt, longe anteiret. Cumq; plurimos propinquos & consanguineos nobiles uiros in eadem urbe haberet, frequenter ad præsidem ducebatur, ut eius monitis acquiesceret. & tot tantisq; propinquis exorantibus respectum haberet

uxoris

uxoris & liberorum suorum, neq; ita pertinaciter in cœpta præsumptione persisteret. Ille uero instar rupis immobilis, quæ undiq; fluctibus alliditur, constans garrientium dicta respuere, animum ad cœlum tēdere, Deum in oculis habere, parentes & propinquos sanctos Martyres & Apostolos ducere. Aderat tum forte uir quidā, qui præerat turmæ Romanorum, Philoromus nomine. Qui cum uideret Phileam Episcopum lachrymis propinquorum & præsidis calliditate fatigari, nec tamen flecti aut infringi posse, exclamabat. Quid inaniter & superflue constantiam uiri tentatis? Quid eum qui fidem deo seruat, infidelem uultis efficere? Quid eum cogitis negare deum, ut hominibus acquiescat? Non uidetis quòd aures eius uerba uestra non audiunt? quòd oculi eius lachrymas uestras non uident? Quomodo potest terrenis lachrymis flecti, cuius oculi cœlestē gloriam aspiciunt & contuentur? Post hæc dicta cunctorum ira in Philoromum uersa, unam eandēq; eum cum Philea subire sententiam poscunt. Quibus libenter annuens Iudex, utrunq; plecti capite iubet.

DE DOROTHEA VIRGIne Alexandrina.

QVando Maxentius Romæ tyrannidem exercuit eodem tempore in orientis atq; Aegypti partibus Maximinus Cæsar simili per omnia crudelitate & uesania tyrannidem gerebat, ita ut alter alterum, utpote in tyrannide socius, eciam in sceleribus uideretur imitari. Maximinus eciam in hoc præire & uincere uidebatur Maxencium socium sceleris, quòd publicos & maximos honores magistris impijs, peruersis doctoribus & malarum artium peritis decernebat, ideoq; grauior persecutor fuit Christianorum, quàm imperatores superiores. Neq; enim uel pietatis uel ciuilis modestiæ ullam rationem habuit. „ Vitiabat enim honestas matronas & puellas sine ullo delectu paßim in omnibus urbibus & oppidis. Atqui uero cum duobus his grauißimis dominis, libidine & crudelitate, præceps ageretur, accidit forte quòd eßet apud Alexandriam Dorothea uirgo satis nobili familia orta, ingentibus diuicijs & nobilitate propinquorum clara. Formæ uero & decoris gloria tanta in ea fuit, ut mirum & speciale quoddam dei figmentum in ea crederetur. Sed illa, quæ animi pietate et uitæ modestia pulchrior, quàm uultu corporis eße studeret, æquißimo mentis iudicio quòd pulchrum & decorum inter

rum inter homines uidebatur, id potius Deo consecrare, quàm usui humano statuit indulgere, ut uirgo deo consecrata persisteret, & per totam uitam suam studio pietatis uacaret. Neq; uero tum temporis stultißima illa ratio Monasticorum uotorum fuit recepta, sed qui hoc dei donum habebant, sua sponte cœlibes manebant sine ullius uoti acceßione, ut eo commodius incumbere possent studijs sacrarum literarum, & seruire ecclesiæ in suo officio.

Cæterum Maximinus Tyrannus, qui omnia diuina atque humana, libidine, simul & crudelitate fœdabat, cognito solus formæ, non eciam ingenij ac propositi bono, ad contemerandam uirginem ac polluendam eius castitatem animum intendit. Sed ubi comperit quòd Christiana esset, quæ secundum sua edicta pœnæ magis quàm libidini subijcienda uideretur, in ambiguo positus æstuare cœpit & in quam se partem uerteret ignorabat. Sed ubi dubios animos libido quæ ei latius dominabatur, obtinuit, & expectantem uirginem pro Christi confeßione ad supplicia rapi, per occultos nuncios de stupro interpellauit. illa æque nephas sibi esse respondit,

templum corporis sui idolorum cultu & libidinis contagione polluere. Proindè se quidē ad mortem paratam esse, à crudeli uero tyranno non decere blandum aliquid aut molle proferri, nec esse dignum resolui erga se truces animos quos quoti die undatim Christianorum profusus cruor duraret. Ad quæ responsa cum ille libidine accensus acrius incalesceret, & nisi uerbis acquieuisset, ui agere constituit. Proinde Dorothea uirgo omnibus facultatibus suis, domo & familia derelictis noctu clam cum paucis fidißimis famulis, & cū amicißima sibi comite castitate discedit, atq; illum tyrannum uanum amentemq; dereliquit. Memorabile profecto hoc est exemplum Dorotheæ uirginis, quod nos non solum cognoscere & amare conuenit, sed imitari eciam, si exigat occasio. Testatur enim habuisse olim Christianos magnā rationē honestæ uitæ, ne doctrinam Euangelij & spiritualem libertatem conscientiarum carnali aliqua licentia, & fœdis cupiditatibus contaminarent.

DE LVCIANO ANTHIOcheno presbytero.

Lucian

LVcianus Anthiochenus presbyter, ex Maximini Cæsaris præcepto adductus est ad tribunal iudicis. Vir erat pietate insignis, eruditione & continentia ac honestate morũ præcipuus, & qui propter præclaras uirtutes suas omnibus admirationi erat. Cum itaq; adductus esset ad Iudicem. Cur, inquit, ad eum præses, uir prudens & diserte sequeris illam sectam, cuius non potes rationem reddere? Aut si aliqua ratio uestræ doctrinæ est, eam audientibus nobis in medium profer. Tum ille data sibi facultate dicendi huiuscemodi orationem de fide nostra habuisse dicitur. In occulto non est, quòd nos Christiani quẽ colimus, Deus unus est per Christum nobis annunciatus, & per spiritum sanctum cordibus nostris inspiratus. Non enim sicut uos putatis, humanæ alicuius persuasionis errore constringimur, nec indiscussa (ut alij) parentum traditione decipimur. Autor nobis de deo Deus est. Neq; enim posset sublimis illa maiestas sensibus humanæ mẽtis illabi, nisi uel spiritus sui uirtute delata, uel uerbi ac sapientiæ suæ interpretationibus indicata. Fateor, errauimus etiam nos aliquando, & simulachra, quæ ipsi finximus, deos cœli ac terræ putabamus autores, sed arguebat eos fragilis sub

stantiæ suæ à nobis præstita consecratio. In quibus tantum uenerationis inerat, quantum decoris manus contulißet artificum. Verum omnipotens Deus, quem non nostris manibus fictum, sed cuius nos decebat esse figmentum, errores miseratus humanos sapientiam suam misit in hũc mundum carne uestitam, quæ nos doceret Deum qui cœlum fecisset & terram, non in manufactis, sed in æternis atq; inuisibilibus requirendum. Vitæ eciam leges & disciplinæ præcepta constituit, seruare parsimoniam, paupertate gaudere, mansuetudinem colere, studere pati, puritatem cordis amplecti, pacientiam custodire. Quin eciam omnia hæc quæ nunc aduersum nos geritis uentura nobis esse prædixit, educendos nos ad reges, & ante tribunalia iudicum statuendos, ac uelut uictimam iugulandos. Inde est denique quòd & ipse qui immortalis erat, utpote uerbum & sapiencia dei, morti se præbuit, quo nobis in corpore positus, pacientiæ præberet exemplum. Sed nec nos sua morte decepit, quibus post tertium diem resurrexit. Etenim innocens, immaculatus & purus ad hoc solum mortem suscepit, ut eam uinceret resurgendo. Quæ autem dico non sunt

non sunt in obscuro gesta loco, neque testibus indigent. Pars penè mundi iam maior huic ueritati adstipulatur, urbes integræ, aut si in his aliquid suspectum uidetur, contestatur eciam de his agrestis manus ignara figmenti. Si minus adhuc creditur, adhibebo uobis eciam loci ipsius in quo res gesta est testimonium. Astipulatur his ipse in Hierosolymis locus, & Golgathana rupes sub patibuli onere disrupta. Antrum quoq; illud, quod auulsis inferni ianuis corpus denuo reddidit animatum, quo purius inde ferretur ad cœlum.

Aut si adhuc minus digna uobis hæc uidentur, quæ in terris substantiam gerunt, accipite eciam è cœlo adstipulatorem fidelem, Solem eciā ipsum horum produco testem, qui cum hæc fieri per impios uideret in terris, lumen suum meridie abscondit in cœlo. Requirite in annalibus uestris, inuenietis temporibus Pilati, CHRISTO paciente, fugato sole interruptum tenebris diem. Quòd si terræ, si cœlo, si sanguini eorum, à quibus ueritatem per tormenta perquiritis, fidem non accommodatis, quomodo meis uerbis allegationibusque credetis?

Et cum penè iam auditoribus his uerbis ſuadere cœpiſſet, arripi iubetur in carcerem, ibiq; quaſi absq; tumultu populi necari.

DE PAPHNVTIO Epiſcopo.

PAphnutius Epiſcopus ex Aegypti partibus fuit, adeoq; ex illis unus, quos Maximianus Cæſar dexteris oculis effoßis & ſiniſtro poplite ſucciſo ꝑ metalla dãnauerat propter fidei confeßionẽ. Erat autem uir non ſolũ pietate ſed eciam multis alijs præclaris dotibus exornatus. Et præter reliquas uirtutes tantam in eo uim pietatis fuiſſe teſtantur hiſtoriæ, ut per orationẽ non modo curaret ægrotantes, ſed etiam dæmones fugaret & abigeret ab ijs, qui erant obſeßi. Porrò Conſtantinus Imperator tanta ueneratione & amoris affectu ipſum proſequebatur, ut ſæpius ipſum intra palacium ſuum euocatum complecteretur, & illum oculum, qui ob fidei confeßionem ei euulſus fuerat, auidioribus oſculis demulceret. In Nicæna Synodo cum de hæreſi Arrianæ ageretur, trecenti & octodecim epiſcopi fuerunt congregati à Conſtantino Imperatore, inter quos

& Paphnutius fuit. Cæterum cum synodus iam corrigere uellet abusus quosdam in Ecclesia, & certas leges quasdam statuere, quas Canones appellamus. In quorum tractatione cum quibusdam necessarium esse uideretur constituere hãc legem, ut episcopi & presbyteri, diaconi & subdiaconi cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent, & ne postea permitteretur clericis uxores ducere propter commoda quædam publica Ecclesiæ. Et cum multorum grauissimorum episcoporum autoritate & consensu hæc sententia confirmata propemodum esset, solus Paphnutius restitit, & surgens in medio palàm contradixit, honorabiles, inquit, nuptias esse, & castitatem dicendam concubitum cum propria coniuge, suasitq; cõcilio ne talem ponerent legem de abdicandis uxoribus contra uerbum Dei. Quos Deus coniunxit, homo non separet. Etenim grauissimam causam esse asserebat, quæ aut clericis, aut ipsorum coniugibus, occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus exposuit, Synodusq; laudauit sententiam eius, et nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uoluntate uniuscuiusq;, non in necessitate dimisit. Solus itaq; Paphnutius obtinuit ut cõ

iugati clerici uxores suas retinerent, & in hac re, quam Christus liberam esse reliquit, nulla necessitatis lex statueretur.

DE ATHANASIO EPISCOPO.

ATHANASII exemplum dignum est, quod ab omnibus pijs cognoscatur, præsertim hoc tempore, quo tyranni & homines impij quosuis potius ferunt & magnis sumptibus fouēt quàm uere pietatis doctores, qui recte tradunt uerbum dei, & in omnibus rebus publicæ trāquillitati consulunt. Talis autem extitit episcopus Athanasius illis temporibus, quando per Arianos Ecclesia miserè dißipabatur, sub impijs principibus, post mortem Constantini Imperatoris. Athanasius iam inde à puero in omni genere bonarum artium & pietatis studio institutus erat. Ingenio ad discendum alacri, & ad iudicandum de grauibus quibusq; rebus acutißimo fuit, ideoq; assumptus est in Ecclesiam ab Alexandro Alexandrino Episcopo, qui propter præclaram indolem & insignes uirtutes, quas in eo animaduertebat, singulari amore et beneuolentia eum complectebatur. Et cum Nicæna Synodus indicta eßet à Constantino

tino Cæsare, cum Alexandro Episcopo sene & sanctißimo uiro unà Nicæā profectus est, nam ei ut diaconus tum erat. Quādo uero fuit uir acris ingenij, & in Ecclesiasticis negocijs apprime ui gilans, acute admodum & diserte Arianorum dolos ac fallacias detegebat, magnaq; constantia tutatus est articulū fidei nostræ de æternitate & diuinitate Christi. Proinde apud Alexandriā de functo Episcopo Alexandro, suscepit curam regē dæ Ecclesiæ Alexandriæ. Sed quia satis innotue= rat Arianis in concilio Nicæno, quid poßit inge nio & eruditione sua Athanasius contra hære= ses ideoq; statim ut eum Episcopum factum cog nouerant, existimantes, id quod res indicabat, sua negocia per illius sollicitudinem non facile proces sura, omnibus modis quærere aduersus eum ma= chinas deceptionum parabant. Porro mortuo Constantino Cæsare, Constantius Orientale reg num solus administrabat, Constantino iuniore fratre non longe ab Aquileia apud Alsam fluuē um interfecto, Constans utriusque frater occi= dentem obtinebat. Accidit itaque quòd Con= stantium Cæsarem in suam sententiam pertra= hunt Ariani, per prauos sacerdotes, sed ue= rentur interim, ne forte adeundi regis copia

quandoq; fieret Athanasio, & per eum de ueritate fidei, quam ipsi peruertebant, secundū scripturas edoceretur, omnibus modis incumbunt, ut ipsum apud principem traducant & infament ueluti omnium scelerum ac flagitiorum autorē, usq; adeo etiam, quòd tandem humani corporis brachium loculo delatum Imperatori ostendunt, quod ab Athanasio excisum magicæ artis gratia de Arsenij cuiusdam corpore confirmabant. Neq; hoc solum flagicium, sed alia innumera scelera confingebant, ut pium & sanctißimum uirum Imperatori inuisum redderent. Quibus ex causis commotus Constantius Imperator, iubet Synodum cogi apud Tyrum, in eaq; per episcopos Athanasium publice condemnari. Sed quid fit? deducitur eò Athanasius, loculus cum humano brachio circumfertur. Inuidia simul & horror omnium animos inuadit. Nemo enim non detestatur hoc tantum facinus in Athanasio. Porro Arsenius ille, cuius brachium dicebatur excisum, lector aliquando Athanasii fuerat, & ob culpam correptionem ueritus frequentiæ sese subtraxerat. Eius uero latebras opportunas sibi ad huiusmodi commentum flagitiosi homines rati, in initio compositi criminis occultatum eum apud quendam, quem fidißimum suis sceleribus

leribus crediderant, retinebant. Cæterum peruenit interim ad Arſenium in latebris poſitũ, quid ſuo nomine criminis intentaretur Athanaſio. Et ſiue eum ipſa humanitatis contemplatio, ſiue diuina perpulit prouidentia, clàm noctu euadens clauſtris, enauigauit Tyrum. Et pridie quàm cauſſæ dicendæ ultimus dies eſſet, Athanaſio ſeſe Arſenius obtulit, utq; ſe rerum ſeries haberet, edocuit. Ille domi manere hominem, nec internoſcere cuiquã de eius præſentia iubet. Interea cõcilium cogitur, in quod aliqui concinnatæ calũniæ conſcij, omnes penè inſenſo animo aduerſus Athanaſiũ præiudicatoq; conueniunt, per idẽ tempus Paphnutius Epiſcopus aderat Athanaſij innocentiæ cõſcius. Is cum uidiſſet Maximum Hieroſolymorũ Epiſcopum, qui unà ſecum effoſſo oculo & poplite ſucciſo, confeſſor extiterat, uerum pro ſua nimia ſimplicitate et candore nihil de ſcelere ſacerdotum ſuſpicantem, conſediſſe cum cæteris, quos factionis macula ſociauerat, medium conſeßum adire non eſt ueritus, te inquit, Maxime, cum quo mihi idem & unum confeßionis inſigne eſt, cum quo mihi pariter mortale lumen effoſſum clariorem diuini luminis conciliauit aſpectum, te, inquam, non paciar in concilio malignantium &

cum iniqua gerentibus introire, iniectaq; manu eleuans eum de medio eorum ac de singulis instruens, perpetua dehinc Athanasio communione & amicitia sociauit. Sed ne hoc quidem testimonium sanctißimi confeßoris Paphnutij sectarios Arianos commouit. Nam caussa interim nihilominus dicitur, tanta est impudentia hominum impiorum.

A. Primum adfertur accusatio mulieris cuiusdã, quam subornârant subdoli & impij homines, ut diceret se aliquando hospitio Athanasium suscepisse, et ab eo noctu nihil suspicantẽ uim corruptionis esse perpessam. Introduci ad hæc iubetur Athanasius, ingreditur cum Timotheo presbytero suo, eumq; monet, ut postea quam mulier dicendi finem fecisset, se tacente ad ea quæ dixerat, responderet. Sciebat enim Athanasius se ne uisum quidẽ esse mulieri, nedũ hospitio susceptũ. Proinde cum mulier ea quæ edocta fuerat, perorasset, Timotheus conuersus ad eam, uere, inquit, mulier ego mansi apud te aliquando, aut uim tibi, ut asseris, feci? Tunc illa (ut est mulierum talium procacitas) obiurgans Timotheum. Tu ipse es, inquit, qui mihi uim fecisti, tu in illo loco commaculasti castitatem meam. Simul & conuersa ad Iudices

ces obtestari fidem dei cœpit, uera se dicere. Tum omnes pudore suffusi sunt, quòd tam facile tacente Athanasio factio compositi criminis patuisset. Hinc transitur ad aliud crimen, profertur facinus seculis inauditum, Hoc est, inquiunt, ubi nemo poßit uerborũ præstigijs decipi, res oculis agitur, uerbis cessantibus. Brachium hoc te, aiunt, Athanasi accusat excisum. Hæc est Arsenij dextera, quam tu quomodo, uel ad quos usus excideris, indicato. Tum ille. Quis enim, inquit, uestrum Arsenium nouerat, ut hanc ipsius dexteram cognoscatis? Exurrexerunt aliqui, qui dicerent optime se nouisse Arsenium, inter quos nonnulli erant ignari huius compositæ fallaciæ. Orat dehinc à Iudicibus Athanasius, ut hominem suum, quem in negocium deposceret, iubeant intromitti. Cumque introductus esset Arsenius, eleuato eius uultu, Athanasius Concilio & iudicibus ait. Hic est Arsenius: Et alleuans simul eius dexteram. Hæc est, inquit, etiam dextera eius, hæc est & sinistra: Hæc autem, quam isti offerunt, manus unde sit, uos requirite. Tunc uelut nox quædam & tenebræ accusatorum oculis infusæ, quid agerent, quò se uerterent, nesciebant. Verũ quia non iudi-

candi sed opprimendi hominis caussa conciliũ ge rebatur, fragor omnium repente attollitur, magũ esse Athanasium & decipere intuentiũ oculos conclamatur, nec debere ullo modo ultra hominẽ tam nefariũ uiuere, factoq; impetu suis manibus præ furore discerpsissent, nisi Archelaus, qui cũ cæteris ex mandato imperatoris Concilio præsidebat, liberasset eum, & eduxisset per occultos exitus, ac fugere iußißet. Congregati Episcopi ad concilium rursus conueniunt sequenti die, & tanquam nihil deprehensum fuisset, ut confessum de intentatis criminibus Athanasium cõdemnat. Et gesta in hunc modum ficta per orbem terræ mittentes ad sceleris sui consensum Imperatore cogente, cæteros Episcopos perpulerunt.

Hinc iam toto orbe profugus agitur Athanasius, nec ullus ei tutus ad latendum supererat locus. Tribuni, præpositi, Comites, exercitus quoque ad inuestigandum eum mouentur edictis imperialibus, præmia delatoribus proponuntur, si quis uiuum maxime, si id minus, caput certe Athanasij detulisset. Sed totis regni uiribus frustra aduersus eum, cui deus aderat, certabatur. Nam sex continuis annis ita latuisse fertur in cisterna seu cella subterranea, ut nũquam in publicum prodiret.

diret. Et cum per ancillam, quæ ſola conſcia officiorum domini ſui erat, qui Athanaſio latebras præbuerat, indicatus fuiſſet, tanquam dei ſpiritu admonitus ipſa eadem nocte, qua ad eum comprehendendum cum iudicibus ueniebatur, poſt annos migrauit ad alium locum, atque ita illi qui uenerant fruſtrati, dominiſq; in fugam uerſis, de ancilla ut falſa indice pœnas ſumunt. Verum ne graues alicui latebræ ſuæ fierent & occaſio calumniæ in innocentes quæreretur, nihil ſibi iam ultra tutum in Conſtancij regno præſumens ad Cõſtantis partes profugus diſceßit. A quo ſic ſatis honorifice, pieq; ſuſceptus eſt, quiq; cauſſa eius quam famæ compererat, diligentius cognita, ſcribit ad fratrẽ ſuum Conſtantium pro certo ſe comperiſſe quòd ſacerdos dei ſummi Athanaſius iniuſte & præter omnem culpam fugas & exilia pateretur, itaque ſe monere ut uirũ pium priſtino ſuo loco reſtituat. Quod ſi nollet, curæ ſibi futurum, ut ipſe id adimpleret et ſimul intima regni eius penetraret dignißimas pœnas de aduerſarijs & falſis accuſatoribus Athanaſij ſumpturus. Venit igitur Athanaſius Antiochiam, nam ibi tum erat Conſtantius Cæſar, qui perterritus fratris Cõſtantis literis ſimulata benignitate uenire ad ſe iubet

Athanasium, & ad Ecclesiam suam securum redire permittit, sed hac lege, ut unam Ecclesiam permittat Arianis, qui cum ipso nollent communicare. Id quidem, respondit Athanasius, facile tibi concedo Imperator, sed hac item lege, ut nobis & nostris concedatur hic & in alijs locis quoq; habere unã Ecclesiam, qui cum uestris nolunt communicare. Id uerò cũ audiuerũt Ariani Episcopi, quorum cõsilio utebatur Cæsar, neq; se uelle accipere Ecclesiã Alexandriæ neq; Antiochiæ dare uelle respondẽt. Itaq; admiratus Imperator prudẽtiã Athanasii properare eum ocyus ad suscipiendã suã Ecclesiã iubet. Sed cũ Magnẽtij scelere Imperator Cõstans, cuius iussu et autoritate restitutus erat Athanasius, regno simul et uita fuisset exemptus, rursum in Athanasiũ ueteres illi hostes exasperare Cõstancij Cæsaris aĩm, et accẽdere eius irã contra eũ cœperũt, fugatoq; de Ecclesia Athanasio in locũ eius Georgiũ quendam perfidiæ & immanitatis suæ sociũ sufficiũt. Rursum igitur fuga, rursum latebræ, & edicta Cæsaris aduersus Athanasiũ in omnibus locis ponũtur, in qbus et præmia delatoribus promittebãtur. Ad hoc etiã cũ ob uindictã necis fraternæ, regnũq; recuperandũ ad occidẽtis ptes uenisset Cõ

stantius

stātius Cæsar, et extincto tyrāno iam solus regno potiretur, cogere statuit omnes occidētales Episcopos ad cōprobationē sectæ Arianæ, et Athanasiū palàm condēnauit. Sciebat enim eū, uelut aheneum murū & ualidißimū obicem esse ad resistendum doctrinæ Arianorum, ideoq; & omnes Episcopi, qui in Italia improbabāt Athanasij proscriptionem in exiliū relegati sunt, fuitq; eo tempore & in oriente & in occidente admodum miserabilis Ecclesiæ facies.

Porrò Cōstātio Imperatore nō multò post defuncto uita, Iulianus Cæsar succeßit. Is primo uelut i arguens perperā gesta Cōstantij imperatoris, Episcopos iubet de exilijs relaxari et ad suas Ecclesias redire, atq; hac occasiōe Athanasius Alexandriā ad suā Ecclesiā reuersus est, eāq; denuo repurgauit ab īpijs opiniōibus Arianorū. Cæterū Iulianus postq̄ ad orientē Persas bello pulsaturus aduenit, palā cœpit prodere īpietatē aīi sui, quā callide antea dißimulauerat. Publice. n. testabatur se idolorū cultu, et gētilibus supstitionibus addictū, et astu magis quā apta ui Christianos auellere conabatur à Christo ad gentium impietates. Et hūc illius aīm accēdebāt etiā doctores et magistri īpij, qui asserebāt nihil suis artibus succeßurū

nisi prius Athanasium uelut omnium horum, quæ moliebantur in reparando impio cultu deorum & alijs superstitionibus renouandis, sustulisset. Iterum igitur mittitur exercitus ad perdendum Athanasium, iterum palàm oppugnatur ecclesia. Cumq; populũ Christianorũ circa se lachrymãtem et tristem stare uideret, cum ex præcepto Iuliani Cæsaris pararet se ad fugam, sic consolatus est eum inquiens. Nolite ô filij conturbari sed habetote fiduciam, quia nubecula tantum est, quæ cito pertransit. Iam uerò cum in discessu naui per Nilum fluuiũ iter ageret, comes qui ad hoc ipsum missus fuerat, cognito eius itinere, instanter eum insequi cœpit. Et cum forte applicuisset Athanasij nauicula ad quendam locum, comperit à prætereuntibus post tergum esse percussorem suum, et iamiamq;, nisi prospiceret sibi, imminere. Conterriti qui simul aderant socij, eremum suadebãt ad fugæ præsidium petendam. Tum ille, nolite, inquit, ô filioli deterreri, eamus magis in occursum percursori nostro, ut sciat, quia longe maior est, qui nos defendit, quàm qui persequitur. Et conuersa nauicula iter obuiã ei, qui se insectabatur, aggreßus est. Ille uero qui nullo modo suspicari potuisset in occursum sibi ultro uenire, quem quæ

reret

reret, tanquam prætereuntes aliquos interrogari iubet, ubi audissent esse Athanasium. Cumq; respondissent uidisse se eum non longe euntem, tota celeritate pertransiens properat in uanum, festinans capere quem ante oculos positum uidere nō potuit. Ille uero dei uirtute monitus Alexandriam redit, ibiq; tuto latebras usq; quo persecutio cessaret, exegit. Etenim post Iuliani necem & imperio & Ecclesiæ per Iouinianum, qui ei successit in regno, pax & tranquillitas restituta est. Erat enim princeps pietatis commendatione insignis, Episcopos á Constantio & Iuliano proscriptos reuocauit, iußit etiam Ecclesijs decimas persolui in usum prædicatorum, Athanasium autem præcipue complectebatur, nam officiosißimis & honorificis literis enm requirebat, & ab ipso certam quandam formam fidei & Ecclesiarum disponendarum rationem suscepit. Sed hæc tam pia & læta principia mors immatura corrupit. Præfuit enim imperio Iouinianus, non amplius mensibus septem, & febri correptus obijt apud Ciliciam.

Post Iouiniani mortem Valentinianus imperium suscepit. Is in consortium regni assumpsit fratrem Valentem, et sibi quidem occiduas partes delegit, fratri uerò Orientales reliquit, qui quia A-

rianæ hæreseos sectator fuit, persecutus est synceros prædicatores Euangelij, multaq; nefanda & crudelia in Ecclesiam dei molitus est, sed hæc omnia tum maxime incepit, postquam Athanasius mortuus est, nam illo superstite uelut diuina quadam uirtute prohibitus cum debaccharetur in cæteros, in illum nihil ausus est triste committere. Igitur ea tempestate cum iam quadraginta & sex annos in Episcopatu administrasset Ecclesiã Athanasius ægrotare cœpit, & post iam multos agones, tot cruces & discrimina ex hac uita sublatus est, & sciscitatus de successore, cui tuto & rectißime committi poßit cura Ecclesiæ Alexandrinæ, Petrum calamitatum & periculorum suorum socium & uirum apprimê eruditum in uerbo dei delegit.

DE AMBROSIO Episcopo.

IN Italia quoq; multas Ecclesias contaminauerat Ariana hæresis, ita ut grauißima paßim dißidia exorirentur ex diuersitate opinionũ in caussa religionis, cum in alijs multis urbibus, tum uerò apud Mediolanũ. Accidit enim temporibus Valentiniani Cæsaris, ut defuncto Auxentio

hæreticorũ

hæreticorũ Episcopo utriusq; partis populi in urbe Mediolano diuersis studijs ferrẽtur, adeo quòd dissensio grauis et periculosa seditio certũ exitiũ urbi parare uidebatur, præsertĩ si utraq; pars cũ diuersum optaret, sui uoti cõpos nõ efficeretur. Sed quid fit? Ambrosius tunc consularis eiusdem prouinciæ fasces gerebat. Is cũ perniciẽ ciuitati uideret impendere, pro loco atq; officio suo confestim Ecclesiã seditionẽ populi mitigaturus ingreditur. Cumq; ibi multa secundũ leges et publicã disciplinã pro quiete et tranquillitate perorasset, pugnãtis ĩter se et dißidẽtis populi subito clamor et uox unà cõsurgit, Ambrosiũ Episcopũ postulãtes. Neq;.n. aliter unũ populũ fore, atq; unã fidẽ, nisi Ambrosius sibi Episcopus daretur. Obluctãte illo et plurimũ resistente, ad Imperatorẽ relatũ populi desyderiũ, onĩ maturitate iubetur ĩpleri. Itaq; inuitus et præter suã uolũtatẽ Episcopus factus Ecclesiæ gubernationẽ apud Mediolanũ suscepit, et magna cõstantia opposuit se Arianis pro tuẽda gl'a ueri euãgelij Christi. Porrò mortuo Valẽtiniano Cæsare regina uxor eius Iustina Mediolanũ profecta est, ibiq; in trãqllitate ætatẽ suã cõsumere instituerat: Erat hæc addicta hæresi Arianæ, quam quia dum uiueret maritus, callide

suppresserat, nũc libere impietatis suæ uenena aperire & effundere palàm cœpit. Conturbauit itaq; Ecclesiarum tranquillum statum apud Mediolanum, comminabaturq; sacerdotibus proscriptiones & exilia, nisi Ariminensis concilij decreta, quibus patrum fides confirmata fuerat, reuocarent, atq; in hoc nouo bello Ecclesiæ murum, & turrim ualidißimam pulsabat Ambrosium, eumq; minis & terroribus atq; omni genere oppugnatiõis fatigabat, existimans, id quod res erat, profligato Ambrosio Episcopo, se facile perducturam sua authoritate Ecclesias in sententiam Arianorum. Atqui uerò aduersus hunc furorem reginæ Ambrosius non defensabat se manu, aut telo, sed ieiunijs, continuatisq; uigilijs sub altari positus per obsecrationes defensorem sibi atq; Ecclesiæ deum parabat. Et nõ multo post accidit, quòd Maximi cuiusdam principis tyrannide aduersus ipsam et Cæsarem inualescente, in exilium cum filio Valentiniano profugere coacta sit. Itaque cõpletum est in impia regina, quod in psalmis cominatur propheta omnibus impijs, quod in foueã, quam alijs parant, ipsi corruent.

Illud quoq; imprimis memorabile factum est Ambrosij Episcopi, quod Theodosium Imperatorem

rem propter iniustam cædem perpetratam excõ municauit, & ab ingressu templi prohibuit. Etenim cum apud Thessalonicam seditione exorta, quidam ex militaribus uir impetu furentis populi fuisset extinctus, repẽtini nuntij atrocitate succensus Theodosius Cæsar ad ludos Circenses inuitari populũ, eiq́; ex improuiso circunfundi milites, atq; obtruncari paßim, ut quisq; occurrisset, gladio iubet, & uindictam dari non crimini, sed furori. Ferunt enim septẽ hominũ milia in ea clade periisse nullo iudicio præcedente. Audiens Ambrosius tam miserabilem cladem ab Imperatore perpetratam, cũ iam uenisset Mediolanũ Theodosius, & solemniter in templum intrare uoluisset, occurrit foris ad ianuas, & ingredientem his sermonibus obiurgauit, & ab ingreßu Ecclesiæ prohibuit, nescis inquit, Imperator perpetratæ à te cædis quanta sit magnitudo? neq; post sedatum impetum tanti tui furoris mens tua præsumptionis molem agnoscit, sed forte recognitionem peccati, & pœnitentiam prohibet imperij maiestas? Cœqualium hominum princeps es ô Imperator, & conseruorum, unus enim est omniũ dominus, rex omnium & creator. Quibus ergo oculis aspicies communis domini templũ? quomodo ma-

nus extendes ad orandum, quæ impuræ sunt, & de quibus adhuc destillat sanguis iniustus? Quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum domini corpus? qua temeritate ore tuo poculũ sanguinis preciosi percipies? Recede igitur, recede, nec altero peccato priora crimina augere contendas, suscipe uinculum, quo te omnium dominus nunc ligat, est enim medicina maxima sanitatis. Ad hunc modum obiurgatus ab Ambrosio Theodosius Imperator, agnouit delictum suum, culpamq; cum lachrymis professus, publicam pœnitentiam in conspectu totius Ecclesiæ exegit, & in hoc sibi tempus adscriptum absq; regali fastigio pacienter impleuit. Quibus omnibus istud quoq; mirabiliter adiecit, lege sanxit in posterũ, ut sententiæ principũ super animaduersione prolatæ, in diem tricesimum ab executoribus differrentur, quo locus misericordiæ, uel si restitisset, pœnitentiæ non periret.

DE SPIRIDIONE EPISCOPO CYPRIO.

SECVNDVM Paphnutium & paucos alios Episcopos, Spiridion maxima in æstimatione est habitus illis tẽporibus. Erat enim Thremituntis Cypriorum Episcopus, qui ob insignem

gnem pietatem, quæ in eo erat, et uitæ sanctimoniam, gratus erat omnibus. Ipse interim ut magnis et præclaris uirtutibus excellebat, ita minime de sese arroganter sensit. Quod ad uitæ genus attinet, priusquam Episcopus factus est, agriculturam exercuit, & pastorem ouium egit, uxorem & liberos habens, sed nõ propterea in studio & cognitione pietatis Christianæ minor, et propter hãc opinionẽ eruditiõis, et testimoniũ probatæ uitæ designatus est Episcopus in Cypro. Neq;.n. frustra præcepit Paulus, episcopũ nõ eẽ eligẽdũ aliquẽ, nisi q antea rectè didicerit suæ domui et familiæ præesse. Porrò præterquã q, syncere prædicauit Euãgeliũ Spiridiõ, oĩbus etiã alijs officiis boni Episcopi excelluit. Nã hospitalitatẽ coluit, et beneficus admodũ fuit in iuuãdis pauperibus. Mos.n. erat Spiridiõi ex fructibus, quos ex agris suis percipiebat quotannis partem quidem pauperibus elargiri, partem autem gratis mutuari uolentibus. Erat autem tam promptus in erogando, quòd neq; per se dabat, neque per se recipiebat, sed solum cubiculum ac locũ demõstrabat, inuitans petentes ut quantũ opus haberẽt, tollerẽt, & denuo restituerent, quantum se scirent abstulisse. Accidit itaq; q, quidã dũ mutuũ percepisse:,

reuersus est non multo post, quod tulerat redditu rus. Quem dum secundum cõsuetudinem iußißet reponere in cubiculo, quod fuerat inde mutuatus, ad iniustitiam ille conuersus, & credens latere Spiridionem, non reddidit, quod debebat, sed au ferens secum debitum quasi reddidisset, abscesßit. Sed quid fit? reuersus idem ille post certum tempus, pecijt à Spiridione frumenti aliquid mutuo. At ille misit eum ad horreũ, data potestate, ut ipse sibi metiretur, quantum opus haberet. Ille granarium uacuum repperit, & ilico reuersus ad Spiridionem dixit, se deludi, nam nihil se frumenti inuenire in horreo. Cui Spiridion. Mirum est, inquit, ô homo quod loqueris. Quomodo tibi soli uisum est horreum frumento uacuum esse, cum nos omnes sciamus & uideamus abundare necessarijs? Sentiens itaq; Spiridion hominem dolo malo et furto usum eẽ, dixit. Cõsidera potius apud te metipsum, ne forte quod mutuatus iã antea eras, bona fide non reddideris. Si enim huius doli tibi conscius nõ es, haud dubie non priuaberis, quibus eges, sed rursum accedẽs inuenies. Sic igitur ille palàm conuictus, quod deliquerat, indicauit Spiridioni, & ueniam pecijt. Memorabile in primis hoc est exemplum, quod testatur Deo curæ

esse

se res piorum hominum, & rursus non fortunari ac benedici iniuste partas opes impiorum. Illud quoq; pertinet ad commendationem sanctißimi Episcopi Spiridionis, quòd in euangelij doctrina nō solum singula simplicißime & accuratißime explicabat, sed usq; adeo studiosus fuit, ut religio illi esset magna, uel tantillum ab usitatis & communibus scripturæ uocibus discedere, sequutus haud dubiè Pauli præceptum, qui docet formam sanorum uerborum tenēdam esse. Maximas enim & graues dißensiones sæpe peperit in Ecclesia studium nouarum uocum. Dicitur itaq; quodam tempore pro publica utilitate ecclesiarum conuenißе in unum Cyprios episcopos, & inter eos fuisse hunc Spiridionem & Triphyllum Ledrensem episcopum uirum eloquentia & sapientia clarum. Cum itaq; conueniret populus ad audiendam concionē sacram, iniunctum est Triphyllo, ut exponeret locum aliquē scripturæ ad ædificationem ecclesiæ, cunq; ille locus uenisset in medium: Tolle lectum tuum, et ambula, cubile dixit pro lecto, mutans nomen. Id uero indigne ferens Spiridion, et exiliens de cathedra sacerdotali, Tu ne melior es, inquit, eo qui lectum dixit, quia eius uerbis uti te pudet? Fecit hoc Spiridion conspiciente populo, ut homi

nem eloquentiæ persuasione tumentē humiliaret, & simul admoneret, minime tutū eße à sanis et receptis scripturæ uocabulis discedere. Fecit autem hoc palàm Spiridion pro sua autoritate, ut incuteret homini ambitioso pudorem. Nam ob uitæ singularem sanctimoniam uenerabilis erat, & senex simul ætatis annis, & sacerdotis officio.

Cæterum qualis circa peregrinorum susceptiones fuerit, hinc apparet. Instante iam quadragesima, quidam ex itinere uenit ad eum, quibus diebus consueuerat cum suis continuare ieiunia & die certo commedere. Videns itaq; peregrinū ualde laßum et defatigatum, perge, inquit ad suam filiam, laua peregrini pedes, & cibos appone. Cūq; puella dixiſſet nihil cibi reconditum eſſe, propter ieiunium, iußit ut porcinas carnes, quas domi salitas habebat, coqueret. Quibus coctis, sedens cum peregrino positis carnibus uescebatur, & rogabat peregrinum, ut unà secum ederet, quo refutante, Christianumq́; se profitente, Propterea magis, inquit, refutare non debes, Ego quoq; Christianus sum. Oīa enim sunt munda mūdis, sicut sermo diuinus edocuit. Testatur hoc exēplū fuiße Spiridionē uirū minime supstitiosum, sed piū et prudentē, qui uerum usum Christianæ libertatis non ignorauit.

De Sene

DE SENE QVODAM CONfessore, qui simplici confeßione fidei uicit philosophum argute disputantē.

QVantam uim habeat fidei simplicitas, uel ex hoc exēplo deprehendi potest. Etenim cum ex iussu religiosi Imperatoris Constantini ex omnibus populis & urbibus Episcopi & sacerdotes dei coissent Nicæam ad refellendā Arianam hæresim, fama hac commoti philosophi quoq; & dialectici ualde nobiles & diserti conuenerunt. Inter quos quidam insignis in arte Dialectica per dies singulos cōflictus summi certaminis cum episcopis nostris, uiris adæque in Dialectica nō improbabiliter eruditis, mouebat, & fiebat ingens spectaculum, conuenientibus ad audiendum prudentibus & literatis uiris. Nec tamen ullo genere Philosophus cōcludi à quoquam poterat aut constringi. Tanta etenim dicēdi arte obiectis quæstionibus occurrebat, ut ubi maxime putaretur adstrictus uelut anguis lubricus elaberetur. Sed ut ostēderet Deus, quia nō in sermone regnū dei, sed in uirtute cōsistit, quidā ex confeßoribus, qui aderant in Nicæno Concilio simplicißimi ingenij uir & nihil aliud sciēs nisi Iesum Christū, et hūc crucifixū, cū uidißet philosophū insultantem nostris

ſacerdotibus,& callida ſe diſputationis arte iactā
tem,poſcit ab omnibus poteſtatem ſibi dari pau=
cis cum philoſopho colloquendi. Tum uero noſtri
quibus imperitia uiri boni perſpecta erat, expa=
ueſcebant,& ueluti pudore quodam ſuffundeban
tur. Metuebant enim ne forte apud homines calli=
dos & diſertos riſui exponeretur ſancta ſimplici
tas. Perſtitit tamen ſenior,& hinc ſumpſit ſermo
nis exordium. In nomine,inquit, Ieſu Chriſti phi=
loſophe audi quæ uera ſunt. Deus unus eſt,qui fe=
cit cœlum & terram, quiq; homini,quem de limo
terræ formauerat,ſpiritum dedit. Vniuerſa quæ
uidentur,& quæ non uidentur uirtute uerbi crea
uit,& ſpiritus ſui ſanctificatiōe firmauit. Hoc uer
bum ac ſapientia, quem nos filium dicimus, huma
nos miſeratus errores ex uirgine naſcitur,& per
paßionem mortis à perpetua nos morte libera=
uit,ac reſurrectione ſua æternam nobis contulit ui
tam,quem & expectamus iudicem omniū,quæ ge
rimus,eße uenturum. Hæc ita ſe habere ſine per=
ſcrutatione humanæ rationis credimus. Proinde
noli tu inaniter laborare, quærens deſtruere ea,
quæ fide percipimus. Noli inueſtigare modū, quo
fieri hæc,aut nō fieri potuerint. Si enim credis cō
ſulenti mihi,ad iſta reſponde,ſurge et ſequere me

ad Do

ad Dominicum & huius fidei signaculum suscipe. Philosophus uero conuersus ad discipulos suos et ad alios qui aderant, Audite, inquit, o eruditi uiri. Donec uerbis mecum res gesta est, uerba uerbis opposui, & quæ dicebātur, dicendi arte subuerti. Vbi uero pro uerbis uirtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere uerba uirtuti, nec homo aduersari potuit deo. Est itaq; hoc modo philosophus Christianus effectus, & magno gaudio gratulatus est se tandem simplici confessione Christianæ fidei à sene conuictum esse.

DE PAEDAGOGO QVODAM, Iuliano & Libanio Sophista.

ANtiochiæ uir quidam optimus & Christianæ religionis inprimis studiosus pædagogus adolescētium habitabat, eratq; in eadem urbe nobilis ille Sophista Libanius, homo quidem secundum mundum eruditus & prudens, sed impius, & supra modum in Christum redemptorē nostrum blasphemus, idq; in gratiam Iuliani Cæsaris, qui acerrimus hostis & persecutor fuit Christianorum. Is iam aduersus Persas in bellum pro-

fectus erat, eiusq; secundum reditum, & fœlicem uictoriam expectauit Libanius, habēs præ oculis minas eius aduersus Christianos. Interrogauit igitur pædagogum cōtumeliose irridens eū propter susceptam religionem Christianam. Quid putas, inquit, nunc fabri filius Christus deus uester agit? At ille, quod paulò post contigit repletus gratia diuina prædixit, Respondit enim, O Sophista qui escas paululum. Creator omnium quem tu fabri filium nominasti iam Iuliano loculum concinnat, in quo mortuus portabitur. Neq; uero hoc suo præsagio de morte Iuliani falsus est pædagogus. Accidit enim ut paucos post dies sagitta uulneratus Iulianus periret. Aiunt autem, quòd cum fuisset uulneratus, mox manum sanguine suo conpleuerit, & in aerem proiecerit dicens, Galilææ uicisti, sic enim per contumeliam uocabat Christum. Memorabile in primis hoc est exemplum, quòd impudentes blasphemias in Christum & contemptum sui manifestum tandē suo tempore grauiter ulciscatur Deus. Nam ferunt & Sophistā Libanium non multò post fœdißime quoque periisse.

De Constan

DE CONSTANTIA MVLIERIS cuiusdam in Edessa ciuitate Mesopotamiæ.

VAlens Imperator Arianæ hæreseos acerrimus adsertor fuit, ideoq; & religiõis Christianæ infensissimus erat hostis, & multa ac nephanda mala passim intulit orthodoxis. Venit in Edessam Mesopotamiæ urbem, et cũ cognosceret Christianos Basilicam ibi habere, ad quam quotidie magno numero confluerent audiendi uerbum dei & orãdi caussa. Et quia uidebat Arianos minus in precio esse in ea ciuitate, & foueri Christianos contra mandatum suum, fertur præ nimia animi cõmotione manu percussisse præfectũ urbis quòd inde orthodoxos oẽs non expulisset. Cumq; præfectus iniuriã passus inuitus indignationi principis ministrare cõtenderet, (nõ.n.uolebat tot hominibus cædẽ inferre (latẽter mãdauit, ut dũ præsens in urbe esset princeps, nullus in illa Basilica remaneret. Sed nemo respexit cõsiliũ præfecti, neq; metuit terrorẽ præsentis principis. Nam omnes altero die ad locũ orationis pariter confluebãt. Porro cũ præfectus urbis cũ multa militũ manu ad Basilicã festinaret, ut imperatoris perficeret iussionẽ,

quædam muliercula in paupertate degens, suum filium manu trahens, cursuq; ad Basilicam properans, præfecti officium interrupit. Indignatus uero præfectus, mulierẽ sibi iußit adduci, dixitq; ad eam, O infelix mulier, quò sic indecenter curris? At illa. Quò alij, inquit, ire festinãt. Tunc ille, Nõ audisti, quòd præfectus illic occisurus est uniuersos, quoscũq; inuenerit? Et mulier, Audiui, inquit ideoq; festino, ut & ego illic inueniar inter eos: Et quò hunc paruulum trahis infantem? Tunc mulier ait, Vt & iste martyrium suscipere mereatur. Hoc ubi audisset præfectus, considerauit concurrẽtiũ animum. Et mox recurrẽs ad principem, suggeßit ei, quòd omnes essent mortem pro sua fide subire parati, sed iniquum sibi uideri, breui tempore tantam multitudinem occidere. Quo dicto ab ira auocauit Imperatorem, atq; hac occasione Edesseni furorem Imperatoris effugiunt.

DE EVLOGIO EPISCOPO urbis Edessæ in Mesopotamia.

CVm uidisset Valens Imperator constantiã populi urbis Edessæ in confeßione Christianæ

stianæ fidei, indignum existimauit si simul totam urbē suis ciuibus & inhabitatoribus spoliari mādaret, itaq; callido consilio usus, præcepit episcopum urbis, presbyteros & diaconos conuocari, illisq; per præfectum suum proponi, ut unum è duobus eligerent, aut approbarent Eudoxij dogma, aut urbe pelli, et in exilium relegari se sustinerēt. Existimauit enim Valens Imperator facile posse populi animos inflecti, si prius duces & doctores populi in suam sentenciam pertraxisset, uel relegasset. Iam uero uniuersis congregatis, præfectus mitioribus uerbis utebatur persuadere nitens, ut Imperatoris leges sequerentur, & illius in caussa religionis uoluntati & consilio obtemperarent. Nam insaniæ extremæ, non prudenciæ indicium esse dicebat, quòd tanto Imperatori pauci homines repugnarent. Cunq; cuncti tacerent, ad horum ducem ac Episcopum Eulogium uirum ualde laudandum præfectus ait, Cur non respondes his, quæ dicuntur à nobis? At ille, Vniuersis hæc dicta esse respondit, ideoq; incongruum esse, ut solus, contemnēs alios, responderet. Si uero me solum, inquit, interrogas, meam declarabo sentenciam. Præfectus ait, Hoc abs te requirimus, ut communices poßidēti regnum. At ille pacifice & ualde benigne ait:

Et mihi quoq; regni sacerdocijq; consortium est. Tunc præfectus irrisionem senciens excandescere & sæuire cœpit, & contumeliosis uerbis utens cõtra senem eciam hæc adiecit, Heus tu ueterator non hoc loquutus sum, sed quibus communicat Imperator, communicare uos monui. Ad quod respõdens Eulogius senex magna modestia, Ego inquit pastorem Christum habeo, cuius uocem audire, et nutibus illius obedire me oportet. Qua uoce commotus præfectus octoginta eodem tempore comprehendens destinauit in Thraciam, Eulogiũ præsulem & Protogenem qui secundus post eum fuit in Antinum usq; relegauit. Omnes autem summo in precio habiti sunt apud exteros populos. Tandem post sedatam illam fluctuationem, Eulogius & Protogenes de exilio reuocati ad gubernationem suæ ecclesiæ redierunt: Memorabile profecto in primis hoc est exemplum, & dignum, quod omnes, qui uere Christiani esse uolumus, imitemur, ut ne paciamur autoritate summorum hominum auocari nos ab Euangelio, id quod quidam homines leues & inconstantes faciunt, qui tantum ad tempus probant Euangelium, & in tempore tentationis recedunt.

DE BASILIO MAGNO.

Valens

VAlens Imperator cum uniuersas ecclesias ueris & pijs episcopis ac pastoribus spoliasset, in Cæsaream nobilissimam Cappadociæ urbem uenit, cuius tunc præsul erat Basilius, lumen ac ornamentum suæ ætatis. Imperator itaq; cum faueret Eudoxij hæretico dogmati, & multa tamen percepisset de doctrina, & magnis uirtutibus Basilij, præmisit ad eum præfectum suum, uirum prudentē & disertum, præcipiens ut aut flecteret Basiliū, ut dogmati cōmunicaret Eudoxij, aut hoc facere nolens expelleretur. Audiens enim gloriam tāti uiri, noluit ei prius inferre uim, quàm omnia blandis consilijs & beneuolentia apud ipsum tentasset. Præfectus itaq; sedulo cœpit agere cum Basilio, eumq; honorauit, & mansuetis apud eum sermonibus usus est, rogabat ac monebat, ut tempori pareret, & opinionem suam ac sententiā non ita pertinaciter obfirmaret, & tot ecclesias propter paruam dogmatum subtilitatem dissipari pateretur. Nam si in hac parte flecti se pateretur, futurum esse promittebat, ut summam inde amicitiam & graciam Cæsaris consequeretur Basilius. Postquam ille sic locutus erat, respondit magna cum grauitate Basilius. Nihil attinet, inquiens, ista beneuolenciæ captatione, & per-

suasionibus apud me uti, nam adolescentibus imperijs hæc uerba congruere puto, Illi enim & illorum similes talia promissa respiciunt, quæ tu prædicas. Nam pij & graues uiri, qui recte instituti sunt in uerbo dei, constantiores sunt, quàm ut syllabam aliquam de diuinis literis negent uel corrumpi sinant, sed potius (si contingat) eciã omnes mortis species amplectuntur. Amicitiam quidem & graciam Imperatoris optandam censeo, magniq; duco, sed si cum pietate coniuncta sit, & ab ea nõ abstrahat quenquam. Nam sine hac perniciem potius illam, quàm amicitiam appello. Atqui uero hoc tam graui responso multũ offensus præfectus Imperatorius sæuire in Basilium cœpit stultum ac delyrum eum appellans. Cui Basilius ait: Me sanè huius stulticiæ non pudet, nam hanc stulticiam amplector, & omnibus modis habere exopto. Cæterum cũ præfectus egredi iußisset Basilium, ut quia faciendum sibi esset, deliberaret, sentenciamq; suam altero die depromeret, fertur Basilius dixiße: Ego quidem etiam cras ipse regredior, dummodo tu sententiam non permutes, sed utere minis tuis.

Accidit postea, quòd præsente Imperatore Valente loqueretur de sacris scripturis Basilius, & adfuit forte inter Imperatoris ministros coquus

Demost-

Demosthenes nomine, Is cum culpare uellet sanctißimum doctorem, & blasphemijs Christum incesseret, accidit ut barbarismum commiteret. Tũ sanctus Basilius subridens: Vidimus, inquit, sine literis Demosthenem. Cum uero ille minaretur magis, ait Basilius, Tuum est de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Proinde hac occasione tractandi de sacris scripturis commotus Cæsar admirari cœpit Basilium & diligere eciã, propter pietatis doctrinam insignem, & reliquas eximias uirtutes, quas in eo considerauit. Cæterũ hostes ueritatis indigne ferentes recõciliatum Cæsaris animum Basilio, omnem operam impenderũt ut alienarent iterum Cæsaris animum, eiq; Basilium inuisum redderent. Proinde aßiduis persuasionibus hæreticorum commotus tãdem Imperator, rursus iußit sollicitari Basilium ad amplectendum Eudoxij impium dogma, et cum id magna constantia suscipere recusaret Basilius, ilico legem scribi præcepit de relegando Basilio in exilium. Cæterum cum descriptam legem manus suæ subscriptione confirmare uellet Cæsar, nullum apicem complere potuit, calamus enim contritus dißilijt, cũq; hoc ipsum secundo & item tercio calamo accidisset, et ad huc legem impiam firmare contenderet,

commota est eius dextera, eamq; subito tremor inuasit. Tunc eius animo terrore repleto, ambabus manibus chartam rupit. Mirabili itaq; prouidentia dei seruatus est Basilius episcopus, ne in exiliũ pelleretur. Etenim in extremis periculis & persecutionibus seruare solet deus infirmam & contemptam suam ecclesiam, ne prorsus conculcetur & extinguatur à Satana, & ab impijs Tyrannis, ideoq; ad gloriam sui uerbi permittit Deus alios pati, alios rursus seruat & eripit ex præsentibus periculis in salutem Ecclesiarum.

DE AMMONIO MONACHO.

AMmonius uir eruditionis & pietatis insignis fuit, Origenẽ Didymũq; doctißimos uiros præceptores habuit, & Athanasio episcopo summa familiaritate coniunctus fuit. Vitam solitariam amauit, & nihil perinde deuitare solebat, quàm ambitionem & honorum cupiditates. Nulla in homine curiositas & studium nouitatis fuit, adeo eciam, quòd cum aliquando uenisset Romam cũ Athanasio episcopo, nullũ opus ciuitatis inspicere & cognoscere penitius uoluit, quàm

loca

loca illa, in quibus uerbum dei docebatur. Accidit eciam quòd cũ uoluißent quidam eum ad episcopatum pertrahere, nec ille posset eos sermonibus auertere, abscidit sibi alteram aurem, ut non susciperet episcopatum, & simul dixisse fertur, Iam ne uolentem quidem quisquam pacietur me episcopũ ordinari. Nam hic mos tum erat in ecclesia, ut nullus mutilatus reciperetur ad ullum sacerdocij ordinem. Proinde discedentibus illis, & denuo redeuntibus atq; dicentibus, quòd morum & doctrinæ potius perfectionem, quàm membrorum corporis ecclesia exquirat, iurauit Ammonius eciam se linguam suam abscißurum, si se inuitum ad Episcopatum rapere niterentur. Aestimare licet ex hoc exemplo Ammonij, magnitudinem officij, quod requirit episcopatus, cum tantus uir tantopere recusarit suscipere oblatum episcopi munus. Itaq; monere nos debet hoc exemplum Ammonij, ne temere arripiamus uel ambiamus ecclesiasticum ministerium, maximè cum ad id suscipiendum non uocamur legitime. Nihil enim periculosius est, quàm non expendere magnitudinem officij publici, & per ambitionem sine certa & legitima uocatione ingerere se ad docendum.

APud Persas nobilißimus iuuenis erat, cui Hormisdes nomen erat, pater eius regius præfectus in magna æstimatione fuerat. Hunc itaq; cum rex cognouisset Christianum esse, deduci ad se iußit, ac acerba oratiõe allocutus eum præcepit, ut Christũ & eius doctrinã abnegaret. Cui respondit Hormisdes, Nec iustum nec utile mihi præcipis Imperator, Nam qui docetur, ut deum contemnat ac neget, facillime quoq; Imperatorem spernit, cum & ipse sit particeps naturæ mortalis. Et si summo supplicio dignus est, qui tua sceptra contemnit, & quem tui pudet, quæ quæso supplicia illi satis esse possunt, qui deum omnium creatorem & dominum neget? At Imperator cum debuisset potius mirari prudentiam iuuenis in respondendo, tam grauiter offensus est, quòd fortissimum athletam opibus & dignitate exuerit & nudatum præfecerit exercitui camelorum. Sperabat enim futurum esse, ut hac contumelia eum ad fidei defectionem impelleret. Porrò exactis iã plurimis diebus respiciens de superioribus Imperator, uidit illum eminentißimum uirum solis ardoribus exustum, & pulueris squalore sordidatum, patriæq; nobilitatis memor eum ad se se iußit adduci & rursus uestiri ipsum uestitu splendido & liberali.

Hormisdæ Constantia

uali. Et cum uocasset ipsum ad sese dixit. Scis in quantis sordibus iam per dies aliquot egeris, & nunc ex illis uicissim ereptus experiris meam erga te clementiam & humanitatem, quare te adhortor ut contẽnas ac neges fabri filium. Hormisda audiens hoc uerbum regis zelo dei repletus, dirupit uestem, & proiecit ante pedes Imperatoris inquiens, Si adeo es demẽs ô rex, quòd propter hoc tuum munus me putas recedere à pietate, habeas tu tibi tuum donum, cum hac tua impietate, quam possides. Hanc eius constantiam contemplatus rex, nudum eum è suo imperio expulit.

DE IOANNE AEGYptio Monacho ex uitis patrum.

IOANNES Aegyptius Monachus eruditione & uitæ sanctimonia insignis, multos ad se fama sui nominis in eremum traxit, eosq; in sacris rectè institutos dimisit, præterea & hospitalitatis officio usus est in peregrinos. Claruit et dono prophetiæ in prospiciendis rebus futuris, id quod & Ecclesiastica historia testatur, nam Theodosio Imperatori uictoriam prædixit contra ty

Liberorũ edu catio

rannum Eugenium. Hortari solebat homines, ad se consilij capiendi caussa aduenientes, ut liberos suos recte educari, & in sacris literis institui curarent, id quod cuidam præfecto militum suasit, inquiens. Filiolum tuum, qui iam tibi natus est, et pro quo debes gratias deo agere, educabis septẽ annis in domo tua, et postea trade eum Monachis erudiendum sanctis & cœlestibus disciplinis. Vnde cõstat Monasteria in Aegypto olim fuisse scholas, in quibus sacræ literæ tradebantur syncere et fideliter, sine omni stulto uoto & impia superstitione, quali apud nos Monachi usi sunt. Porrò accidit quòd Hierosolymis quidam Christiani in Aegyptum uenissent, fama huius tanti uiri perducti, sperantesq; sibi sanctimoniæ aliquid accessurum ex colloquio huius uiri, & cum id animaduertisset, ait ad eos se mirari, quòd tãti itineris labores suscepissent sua caussa. Nihil inquit, in me dignũ uestra expectatione uidebitis, homines enim sumus uiles. Et si quid esset tale in nobis, quod expetitis, id domi uestræ legere in prophetis & Apostolis potestis, qui utiq; ob hoc in omnibus dei Ecclesiis recitantur, ut fidei & exempla uitæ hominibus non de longinquis et peregrinis locis quærantur, sed domi unusquisq; apud se habeat, quod debeat

Monasteria quondam Scholæ

Recte

debeat imitari. Voluit igitur sanctißimus uir neminem à uerbo dei ad suorum operum admirationem abduci. Ipse autem minimè arrogãs, minimeq; securus ualde hortatus est illos ipsos, ut tanquã à peste quadam contagiosa cauerent sibi à praesumptione, et securitatis uitio. Nam quantum mali adferre soleat utraq; pestis pijs hominibus, id exemplis declarauit. Et testatur Dauidis exemplum, quàm hic sibi timere oporteat sanctos.

DE S. ANTONIO.

ANTONIVS bonis & opulentis parẽtibus prognatus erat, et iam inde à puero pietatis studia sectatus, atq; ut diligẽtius meditaretur in rebus sacris, uitã amauit solitariã et secessũ, ibiq; parcißine et sobrie uixit. Grauißimas saepe tentatiões et insidias daemonũ pertulit, easq; uicit non fiducia suorũ operum, sed fide et oratione. Accidit aũt quòd ob magnitudinem & uehementiã tentationum exanimis fieret, ac penè mortuus putaretur, caeterum reuersus ad sese illusit diabolo inquiens. Fides in Christum inexpugnabilis murus est nobis. Porrò tentationes Antonij argumento sunt, eam esse infirmitatem naturae humanae, etiã in pijs, quòd nisi adsit DEVS, non possunt aduersus tentantem Sata=

Iesu ubi eras: Rx. Iesus

uiam persistere, imo etiam in tentationibus uidentur nonnunquam quasi relicti à deo, id quod Antonij exemplū testatur, qui ubi redijsset ad se post graues Satanæ impetus, magno cum suspirio dixit. Vbi eras bone Iesu, ubi eras. Quare non à principio adfuisti ut adiuuares. Et uox facta est ad eum, Antoni hic aderam, sed expectabam uidere certamen tuum, quasi dicere uellet. Ideo permisi te tentari & cædi à diabolo, non ut perderem te, sed probarem ac confirmarem fidem tuam.

Porrò quod ad uictum Antonij attinet & curā corporis, edebat ut reliqui homines, sæpe solus, sæpe cum fratribus. Accidit autem non semel, quòd cum sederet prandens cum fratribus suis à cibo qui fuerat appositus, meditationibus & memoria escæ spiritualis abstrahebatur. Et quāquā ipse modico cibo uteretur, tamen admonebat fratres reliquos, habendam esse magnopere corporis curam, dicens, corpus non esse enecandum penitus, ne operatio contra uoluntatem creatoris dissolueretur, & ob id omne studium animæ conferendum, ne uicijs corporeis pollueretur.

Quòd attinet ad professionē Christianæ fidei, tutatus est eam magna constantia & grauitate tū contra Manichæos & Arianos, quos antichristi præcursores

præcursores appellauit, tum contra Philosophos etiã, quibus ludibrio erat doctrina de Christo crucifixo. Accidit quòd tentandi Antonium caussa uenissent philosophi duo homines sapientes & acuti in eum locũ ubi tum habitabat Antonius cũ suis discipulis Monachis, hos ipse ultro accessit, & primum confutauit idolatriam gentium, deinde doctrinam de Christo crucifixo talem esse ostẽdit, quam non intelligere rationis humanæ captu, sed credere ex prædicato uerbo oporteret homines Sophismata, inquit, fallacia sunt, nos Christiani mysterium uitæ nostræ non in sapientia mundi habemus repositum, sed in uirtute fidei, quæ nobis à deo tributa per Christũ est. Ecce nos simplicẽ fidem edocti idolatriã debellauimus, et per prædicationem ignominiosæ crucis Christi aurata templa deorum ceciderunt. Vbi nunc sunt fabulosa oracula, ubi Aegyptiorum incantationes, quo magorum profecere carmina? Certe uastatæ sunt, & ciderunt omnia postquam Euangelium de Christo cœpit. Quin & illud mirum est, quòd impius cultus dei ac idolatria nunquam regali infestatione concussa, imo hominibus et mundo chara, & hominum præsidijs fulta iam corruit, cum interim nos Christiani infirmi sumus, nullo freti

externo præsidio, & quo plus premimur, eo magis assurgimus et floremus. Christi doctrinā, quæ uobis stulticia & ludus uidetur, licet tyrāni grauiter persequūtur, licet uarios perferat terrores, nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo gentium barbararum fine prohibetur. Sed hæc ad Philosophos. Atqui uerò præclara hæc pietatis testimonia fecerunt, ut Constantinus Augustus & filij eius Constans ac Cōstantius magna Antonium in admiratione haberent, ad eumq; tanquā ad patrem subinde literas mitterent consilij capiendi caussa, et rescripsit ad illos Antonius, ac primum hortatus est ut potißimam curam haberent syncerae religionis conseruandæ. Deinde ut in imperio constituti homines se esse agnoscerent, nullaq; tyrannide uterentur. Nam Christum iudicē haberent, ideoq; clemētia utendum esse erga subditos & curam pauperum non esse posthabendā.

Vsu aliquando uenit, quòd cū operaretur aliquid Antonius aßidētibus fratribus, intente oculos in cœlū fixit gemens atq; suspirās, et cū ualde turbaretur, genibus flexis orare cœpit. Interrogatus à fratribus semel atq; iterum: Quid rei esset cur tātopere cōmoueretur, uix tandē cū ingēti mœrore et fletu respōdit, magno ô fratres, tur

bine

bine fides Christiana post nostra tempora subuertetur. Vidi enim altare domini mulorum circũdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dißipabant. Hæc caussa est gemituum, quos audistis. Significauit haud dubie hac uisione deus in nouißimis temporibus prophanationem illam testamenti dominici in Mißis sacerdotum impurorum sub papatu, quãdo omnia sacra humanis traditionibus polluta & dißipata erant.

Accidit ut tempore quodam euocaretur Antonius cum aliquot fratribus suis à Iudice quodam præfecto, eam ob caussam, ut sontes aliquot captiuos et plectendos consolaretur, itaq; monuit primum iudices ut in sententia proferenda & odio & gratiæ timorem dei anteponerent, & iustè iudicarent. Et postquam commonendo iam ad pietatem usus est suo officio, non passus est diutius se precibus iudicis retardari, ne ipse & fratres sui ab instituto studio suo retraherentur, inquiens. Quod sicut pisces extra aquam mox in arẽti terra putrescerẽt, ita et Monachos ac studiosos iuuenes prophanorũ hominum conuictu ac familiaritate utẽtes deprauari, & prophanis cõfabulationibus corrũpi, ideoq; cõuenit nos ad ĩtermissa studia nostra redire, ne tardãtibus nobis aliqua propositi succedat obliuio.

NB Stud[...]

Balacius quidā dux in Aegypto sub Nestoreo præfecto Alexandriæ persequebatur Euangeliū, & uere credentes. Nam Arianæ sectæ addictus erat. Hūc monuit Antonius per literas, ut non ita crudeliter grassaretur contra Christum, nam futurum alioqui ut breui iusto dei iudicio periret. Desine inquit persequi Christianos, ne te ira dei occupet. Cæterum cum hanc admonitionem Antonij cōtemneret Balacius superbe, accidit quòd post paucos dies cum equitaret iuxta Nestoreū, casu inopinato equus Nestorei repentino morsu eum decuteret ab equo, cui insidebat, & propemodum lacerasset, nisi accurrētium ministrorum præsidio fuisset seruatus. Delatus in urbē est grauiter læsus, et non multò post magno cruciatu interijt, suæq; impietatis pœnas dedit. Sed de his iā satis, reliquum est ut de morte eius quædam ascribamus.

Exemplum iustæ poenæ.

Cum ageret Antonius annum quintum supra centesimum, sensit præ corporis & uirium suarum imbecillitate se diutius uiuere non posse, ideoq; de morte sua iam instante commonebat fratres, & testamentum conditurus in hanc sententiam alloquutus est fratres. Ego iam ex uoluntate dei ingrediar uiam patrum meorum, & uide

105 Jahr alt

re cupio cœlestia, ſed uos ô uiſcera mea admoneo, ut cogitetis hanc uitam momentaneam eſſe, & magnas inſidias eſſe atq; feroces impetus Satanæ, ideoq; Chriſtum ſuſpirate, & fidem in nomine eius infixam animis ueſtris retinete, nam per eam uniuerſi dæmones fugabuntur. Ad hoc illud ſedulo moneo, ut ſchiſmaticorum et hæreticorum uenena uitetis, meumq; erga eos odium ſectemini, quia Chriſti ſunt inimici. Scitis ipſi nullũ mihi unquam cum illis pacificum ſermonem aut familiare colloquium fuiſſe, idq; propter deprauatam illorum uoluntatem & pertinax bellum contra Chriſtum. In hoc autem ſolliciti eſtote, ut domini præcepta ſeruetis. Hæc cogitate, hæc ſapite, hæc retexite, & ſi qua cura mei uobis eſt, ſepelite corpus meum, ut nemo locũ tumuli mei nouerit, ne in Aegyptum relatum corpus meum uano aliquo honore adficiatur. Mos enim Aegyptijs erat nobilium & præcipue martyrum beatorum corpora non ſepelire, ſed aromatis peruncta & linteamine tantum obuoluta ſuper lectulos ponere uel in arculis conſeruare. Et non dubium eſt hunc morem ungendorum corporum. Iudæos ab Aegyptiis mutuatos eſſe, atq; hinc eſt quòd & oſſa Iacob Patriarchæ tranſtulerunt filij Iſrael in terram

mos Aegyptiorum erga defunctos

Canaan. Vestimēta sua legauit Antonius partim Athanasio, partim Serapiōi Episcopis, partī etiā fratribus. Et hoc ipsum testatur Monachorum uitam tum liberam fuisse, & nulli certo uoto astrictam, sicut nostra ætate sub papatu. Fuerūt enim fratres sui iuris tunc temporis, ideoq; & propria tenebant, estq; in tota historia Antonij nulla mentio regulæ & Romani Pontificis, aut uotorum professionis.

EX VITIS PATRVM SElectiora exempla digesta in communes locos.

EXEMPLA LIBERTATIS CHRIstianæ, et superstitionis circa eandē.

EGressi sunt aliquādo de monasterio fratres, ad inuisendum eos patres, qui in eremo cōmorabantur, & cum uenisset ad seniorem quendam, uirum pium et optime intelligentem usum Christianæ libertatis, suscepti sunt ab eo per quàm benigne & magno cum gaudio. Ilico parari mensam iussit, & fatigatos iam ex itinere refecit suauiter, idq; etiam ante solitam cœnandi horā. Cæterum sub uesperum unà orabant, & psallebant.

lebant. Porrò cubitum euntes fratres, qui aduenerant peregrè, loquentes inter se audiuit senior pater in proximo conclaui: Miramur, inquiunt, tam laute uiuere eremitas. Dißimulat senior rem omnem. Mane uerò cum pergerent ad alium quendam eremitam, qui in uicino loco habitabat, iußit senior, ut eum suo nomine salutarent, simulq; dicerent, obserua pater, & noli irrigare holera. At qui uerò ille statim intellexit rem omnem, & lassos ex itinere orare & psallere iußit, ac tandem parum panis cum sale & aceto apposuit. Id uerò indigne ferentes fratres ipsa nocte priusquam dies illucesceret clam ex eo loco profugerunt, intelligentes tum demum se suæ imprudentiæ & superstitionis pœnas dedisse. Est hoc insigne exemplum Christianæ libertatis contra superstitiosos quodam hypocritas, qui temere damnant alios, interim usum libertatis Euangelicæ non intelligunt, neq; norunt bonis dei creaturis uti cum gratiarum actione.

ALIVD.

Agathon Abbas summa in rebus omnibus discretione & moderatione utebatur, tam in opere manuum suarum, quàm etiam in uestitu. Talibus enim uestimentis utebatur, quæ

nec nimis bona, nec nimis mala cuiquã uidebãtur. Testatur hoc exemplum fuisse olim apud patres nullam superstitionem in certo quodã colore aut genere uestitus, sicut fuisse constat apud Monachos nostros in papatu.

ALIVD.

Syluanus Abbas exire de cella sua nolebat, et quoties exire cogebatur, operiebat cucullo faciem suam dicens. Quid necesse est uidere lumen illud temporale, in quo nihil est utile? Non satis pie dictum est hoc à uiro pio, & exemplum est craßißimæ inscitiæ, ne dicam blasphemiæ & ingratitudinis pro creaturis dei bonis. Paulus ad Romanos 1 cap. ait ex consideratione uisibilium rerum cognosci inuisibilem dei potentiam & uirtutẽ, & Psal. ait, quòd sol & luna laudãt dominũ. Adscripsimus hoc exemplum, ut ex eo & similibus iudicare discamus, nunquam in Ecclesia homines superstitiosos, inciuiles & morosos defuisse, ideoq; promiscue sineq; delectu non sunt ad imitationem proponenda patrum exempla, sed ad ueræ fidei regulam & scripturæ analogiam prius expendas oportet.

ALIVD.

Plenum est superstitionis hoc quoq; exemplũ

quod

quod de abbate Machario legitur, ad quē cum ue nisset Theodorus pater & diceret se tres codices habere, et sibi & patribus alijs ualde utiles, ideoq; se illis non libenter uelle carere. Dic tamē tu mihi inquit, quid fieri expediat. Cui Macharius. Boni sunt quidem actus, sed maius est omnibus nihil possidere. Quo audito abijt & uendidit libros, & acceptam pecuniam pauperibus elargitus est.

DE THEODORO MOnacho, qui sub pietatis zelo plusquam impiè superstitiosus fuit.

IN uita Pachomij Monachi scriptum est Theodorum Monachum quendam præ nimia sanctitatis persuasione propriam matrem suam uidere non uoluisse & multò minus ad colloquium mutuum admittere. Ingressus enim erat monasticam uitam Theodorus ignorante matre, quæ postquam intellexit eum esse in collegio Monachorū, cui Pachomius præerat, ilicò eò profecta est deferens secum Episcoporum scripta, quibus præcipiebāt, ut matri filius redderetur. Tradit literas

Pachomio, & simul obsecrat ut permittat sibi uidere saltem filium suum. Pachomius rem omnē de literis Episcoporū et aduētu matris indicat Theodoro, admonens eum ut matris desyderio satisfaciat. Ad quod respōdit Theodorus. Si prius me feceris certiorem uenerabilis pater, quòd post tantam rerum spiritualiū cognitionem nō dabo inde rationem in die iudicij, ultro quod præcipis faciam. Nam iuxta mandatum Christi matrem meam cum toto mundo deserui. Nam si ante manifestationem tantæ gratiæ, filij Leui parentes proprios ignorarent, ut iustificatiōes legis implerent, quāto magis ego qui tanti muneris particeps factus sum parentes non debeo diuinæ maiestati præponere, dicente domino in Euāgelio. Qui diligit patrem et matrem plusquam me, non est me dignus. Itaq; respondit Pachomius. Si putas id tibi non expedire, non cogo te. Est autem hoc eorum, qui perfecte renuntiant mundo huic, & seipsos penitus abnegant. Oportet. n. Monachos inutiles et seculares salutationes et colloquia uana diffugere, et his qui mēbra Christi sunt pia mēte sociari. Si quis paßiōe quadā seculi ductus dicit, parētes caro mea sunt eos diligere debeo, audiat beatū Paulū dicentē, à quo quis superatur, eius seruus efficitur.

citur. Proinde commotus hac Pachomij cōtione Theodorus noluit se matri suæ præsentare. Ideo hoc factū adnotare uoluimus, quod insigne superstitiōis et ignorātiæ exēplū est, et quod, sicut Paulus de Iudæis dixit, zelū pietatis quidā ex patribus et eremitis habuerūt, sed nō secūdū scientiā. Impietas erat et peccatū grauißimū, ne dicā diabolica quædā ptinacia et feritas, matrē Christianā cōtēni à filio, et nō admitti ad colloquiū. Certe talis zelus et spūs ex deo nō est, q nō curat præceptū dei de honorādis parētibus. Aliud est propter parētes deserere Euangeliū. Testatur itaq; uel unū hoc exēplū de Theodoro Monacho et Pachomio, q̃ quidā ex patribus supstitiosi et morosi potius, quā pij fuerūt, ideoq; minime tutū esse imitari patres illos, nisi doctrinā illorū referas ad fidei analogiam, et opera eorū ad præcepta decalogi.

ALIVD.

Frater quidam abstinens à cibis & non manducans, uenit ad senem quēdam patrem, uirū piū & prudentem, ad quem etiam sub idem tempus uenerunt alij peregrini, quibus cibum parari iussit. Porrò edentibus iam fratribus, frater ille abstinens apposuit sibi soli ciceris legumina & mãducabat. Et cum surrexissent à mensa, aduocauit

eum senex secretò, & dixit ei. Frater si uenis ad aliquem non ostendas illi conuersationem tuam. Si autem tuos mores & conuersationem retinere uoles, sede in cella tua, & nusquam exeas. Prudenter certe & humaniter instituit senex imperitum fratrem, qui admonitione illa prudentior factus postea cœpit cōmuniter uiuere, et edit quæcunq; apud fratres inuenisset. Oportet certe nos in communi uita ita mores nostros comparare, ne morosi & inciuiles uideamur, estq; hoc ipsum nō tantum postremū officium humanitatis, sed etiam pietatis et charitatis Christianæ, in quo Christum ipsum excelluisse testantur Euangelistæ, & Paulus dicit se omnia factum omnibus.

ALIVD.

Idem senex dixit. Aut fuge homines, aut irridens mundum & homines qui in mundo sunt stultum temetipsum in pluribus facito. Significare enim uoluit hic senex plurima esse dißimulanda, neq; summo iure agendum esse cum in communi conuersatione hominum, tum uerò maxime in functionibus publicis.

ALIVD.

Frater quidam interrogauit quendam ex patribus

tribus dicens. Si contigerit me ſomno grauari, & transierit hora miniſterij mei, anima mea præ uerecundia non uult implere opus ſuum. Et dixit Senex. Si contigerit te uſq; mane dormire, quando euigilas, ſurge, & fac opus tuum. Scriptum eſt enim. Tuus eſt dies, & tua eſt nox. In omni enim tempore glorificatur deus.

ALIVD.

Abbas Caßianus uenientibus ad ſe fratribus nõ ſeruauit ieiunij regulam, & cum interrogaretur, quare id faceret, reſpondit, Ieiuniũ ſemper mecum eſt, Vos mecum ſemper nõ eſtis, & ieiunium quanquam utile eſt, tamen in noſtra uoluntate eſt. Charitatis autẽ plenitudinem lex dei exigit à nobis, unde ſuſcipiens uos in Chriſto, ea exhibere debeo cum ſollicitudine, quæ charitatis ſunt, Abeuntibus autem uobis, ieiunij regulam recuperare poßum.

ALIVD.

Frater quidam uenit ad Abbatem paſtorem in ſecunda hebdomada quadrageſimæ, quærẽs ab eo conſolatiõem. Veniens aũt dixit: Ego citius libenter uenißem, ſed non audebã. Verebar enim ne propter quadrageſimã nõ aperiretur mihi. Cui Abbas, Nos nõ didicimus ianuam ligneam claudere

ſed magis linguæ ianuā cupimus clauſam habere. Significauit enim obtrectationis uitium fugiendum eſſe inter fratres.

EXEMPLA DE ADFECTIBVS ET occaſione peccatorum, & mortificatione.

MVltorum fratrum, qui in eremo & Monaſterijs uixerunt, exempla extant, qui conqueſti ſunt ſæpe ſubinde ſe grauiſsima tentatione de fornicatione ſollicitari, alij enim putabāt ſæpe per inſomnia ſe aſtantē ſibi mulierē uidere, alij de puellarum choreis eciam inter orandum & pſallendum cogitabant. In hoc æſtu & feruore libidinis patres plærumq; ad pacientiam tantum hortabantur iuuenes, & ut pugnarent fortiter cōtra diabolum, ſed fratres quidam è contra ſentiebant & agnoſcebant ſe nullo conſolationis ſpiritualis genere expellere poſſe inſidentes naturæ flāmas. Interim uero in tantis periculis iuuenum non intellexerunt patres naturam procreandæ ſobolis ac cōtrahendimatrimonij inditam eſſe à deo, & cōtraiſtum naturæ ardorem unicum eſſe remediū à deo inſtitutum, uxorem ducere et nubere. Quāto melius

melius Paulus apostolus hic sensit & docuit 1. Corint. 7. Propter fornicationē quisq; habeat suā uxorē, Itē: Melius est nubere quā uri: Et Christus ipse ait Matth. 19. cap. Masculū et fœminā creauit deus.

ALIVD.

Quod Paulus ait, Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, id pulchrè expressum est in exemplo Monachi cuiusdam qui cum semper quereretur grauiter se laborare fornicatiōis affectu & interim ociosus ac securus nihil ageret. Porrò cum precaretur patrem seniorem, ut pro se oraret deū cum fratribus contra hāc suam tentationem, ait ad eum pater, licet in omni tentatione sancti patres orent deum pro eis, qui oracionibus eorum se postulant iuuari, frustra id faciant, dū illi quoq; unà nō orant, & uitare nō student occasiones peccatorū, sed negligentes interim sunt & dissoluti, minimeque cogitant de salute animæ.

ALIVD.

Duo fratres corpulēti ad Eliā abbatē uenerūt, qui querebātur se impugnari prauis cogitationibus et cōcupiscētijs. Vidēs eos senex obeso et benè curato uentre eße, tanq̄ ad discipulū suū subridens dixit. Certe frater pudet me tui, quòd cū sis Monachus talē te uentrē habere uideā, pallor. n. et maci

es cũhumilitate decus est monachi, nõ corpulẽtia.

ALIVD.

Accidit ut frater quidam ueniret ad abbatem pastorẽ & conquereretur cogitationes multas & malas uenire in animum suum, & se periclitari in eis. Et ilico iussit senex ut è domo egressus expanderet sinum suum et comprehenderet uentos. Cui ille. Non possum hoc facere: ad quod respondit senior: Si hoc non potes facere, nec cogitationes prohibere poteris ne introeant in animum, sed tuum est resistere eis, ne erumpant & dominentur.

ALIVD.

Frater quidam dixit ad alium Abbatem Sysonem dictum. Quare non recedunt à me affectus seu passiones? Respondit, Quia uasa earundẽ passionum in te sunt.

ALIVD.

Dixit senex alius, nisi exterior homo noster sobrie incesserit, impossibile est custodiri interiorẽ, hoc est, externas occasiones peccandi uitandas esse, sicut apostolus præcepit: Non commisceamini cum adulteris, ebrijs, &c.

ALIVD

Abbas Isidorus quæsitus de prauis adfectibus, & in primis de cogitatu fornicationis, respondit,

Si cogi

Si cogitationes non habemus, ferarum similes erimus. Sed sicut inimicus, quod suum est exigit, ita nos quoq; quod nostrum est implere debemus. Insistamus orationi, & inimicus fugabitur, uaca meditationi dei & uincis.

ALIVD.

Cum fateretur frater quidam cuidam seniori ex patribus uiro pio & prudenti, se sentire quotidie prauas cupiditates in animo & corpore suo, easq; non posse se reprimere, Respondit senior, Esse in natura nostra prauas cõcupiscentias, easq; cohiberi non posse, perinde atq; aues cohiberi nõ posse, quo minus supra nos in aëre uolitent, sed arceri posse quo minus in capitibus nostris nidulentur, hoc est, resistere nos posse peccatis, ut non dominentur, sicut docet Paulus ad Romanos 6.

EXEMPLVM DE OCCASIONE peccandi, & officio charitatis in ferenda infirmitate alterius.

DVo fratres Monachi abierunt in proximã ciuitatẽ, ut distraherent, quæ manibus suis per totum annũ operati essent, Alter egressus est ad distrahendas res, & coëmenda ad uictũ

necessaria, Alter uero qui in hospitio mansit, incidit per occasionem interea in adulterium. Porrò cum reuerteretur in diuersorium alter frater, confessus est ille crimen suum, noluitq; cum eo in eremum redire. Quod cum audisset, statim respondit se quoq; per occasionem in idem flagitium esse prolapsum. Reuertamur itaq; inquit ambo & pœnitẽtiam agamus. Misericors enim Deus ultro ignoscere solet pœnitentibus. Reuersi itaq; ambo in monasterium sunt, atq; ita frater fratrem per charitatem lucratus est, dum fortior & perfectior peccatorem et infirmum fratrem non contempsit, sed tolerauit iuxta præceptum Pauli. Alter alterius onera portate. Item: Vos qui firmiores estis, debetis imbecillitatem infirmorũ sustinere. Sic & Christus pro nobis factus peccatum, ut de peccato eriperet &c.

EXEMPLA DE PRAESVMPtione & securitate.

QVidam senex cum uenisset ad alium quendam seniorem patrem, dicit ei. Ego iã mortuus sum huic seculo. At alter respõdit. Ne confidas in teipso, donec egrediaris de corpore. Nam etsi

Nam etsi tu dicas mortuus sum, diabolus tamen ui uit et nec dũ mortuus est. Intellexit hic senex haud dubie semper nos esse expositos insidijs Satanæ, qui tum maxime metuendus est, cum in summa se curitate cõstituti nihil periculi timendum esse pu tamus, ideoq; uigilandum nobis esse iuxta illud Petri: Vigilate & sobrij estote, quia aduersarius uester diabolus circumit nos tanquam leo rugiẽs, quærens quem deuoret.

ALIVD.

Dicebat quidã senex, qui iam annos supra quin quaginta durißime uixerat, adeo eciam quòd sæpe à pane abstinuerit, is inquam dixit, Se fornicatio= nem & reliquas prauas cupiditates auariciam et uanam gloriam extinxisse neq; sentire amplius. Hoc cum audisset Abrahã Abbas homo prudẽs et pius, reprehẽdit hominis temeritatẽ inquiens noli sic gloriari, nã uiuunt & hærent in natura paßio= nes seu malæ cõcupiscentiæ, sed tantũ à sanctis ui ris quodã modo ligantur, ne erũpant. Sensit sanè id quod Apostolus docet credentes de mortificati one ad Rom. 6. peccatũ non dominabitur uobis:

ALIVD.

Abbas Mutues dixit. Quãto magis hõ deo ap propinquauerit, tãto magis se peccatorẽ agnoscet.

Non oportet igitur nos securos esse, & putare nos in tranquillo nauigare, nam in tranquillo sæpe ex securitate nauis illisa scopulis perit, ubi per sollicitudinem seruatur in tempestate.

ALIVD.

Beatus Antonius dixit. Nunquam homo bonus est, etiamsi bonus esse desideret, nisi Deus in ipso habitauerit, quia nemo bonus, nisi solus Deus. Oportet ergo ut nos ipsos semper incusemus, & nũquam securi simus. Semper enim reliquum aliquid in nobis deprehendimus, propter quod orare cogimur: Dimitte nobis debita nostra.

ALIVD.

Erat quidam senex durißimæ uitæ Monachus qui perpetuis se in cella sua laboribus fatigabat, & uili quodam tegumento non uestitus sed tectus tantum utcunq; erat. Is uero cum perrexisset ad Abbatem Ammonem, uidit eum Abbas utentem uilißimo stragulo uestis loco, & dixit ei: Hoc tibi ad salutem nihil prodest frater, & dixit ei senex: Tria cogito, & nescio quod debeam eligere potißimum ex illis. Vnum est, quòd cogito in eremum concedere. Alterum ut peregrina loca adeam, ubi me nemo cognoscat. Tercium ut includã me in cella & neminem uideam, & non nisi post biduum comedam.

medam. Dixit ei Abbas, Nihil tibi ex his tribus facere prodest, sed magis sede in cella tua & comede parum quotidie, & habe semper in corde tuo publicani illius in euangelio sermonem: Deus propicius esto mihi peccatori, & ita poteris saluari.

ALIVD.

Interrogauit ijsdem ferè de rebus Abbas Longinus abbatem Lucium dicens. Habeo tres cogitaciones, Vnam ut ad peregrina uadam. Et respondit senex: Si non tenueris linguam tuam, quocunq; perrexeris non eris peregrinus, sed refrena linguam tuã, et eris hic peregrinus. Secũdo proposuit Longinus Abbas: Alia mea est cogitatio ut ieiunẽ per biduum, & respondit Abbas Lucius: Esaias dicit: Si incuruaueris uelut circulum ceruicem tuã nec sic erit acceptum ieiunium tuum, sed magis cõtine mentem tuam à cogitationibus malis. Tertiũ quod proposuit abbas Longinus: Constitui mecum ut declinem hominum aspectus, & respondit Lucius: Nisi prius correxeris uitam tuam inter alios conuersando, neq; solus habitans corrigere te poteris.

ALIVD.

Frater quidam ad patrem seniorem dixit, Nihil pugnæ sentio in corde meo. Cui senex respon

dit: Tu sic es uelut quadrigemina porta, ut quicũque uoluerit intret, & quicunq; uoluerit exeat, & non intelligis, quæ aguntur. Nam si conscientiam haberes ueluti ianuam, nec permitteres prauis adfectibus liberum aditum, tunc sentires stantes foris & pugnantes contra te. Significare hoc modo uoluit hic senex, hominem securum & uanum, nullam peccati conscientiam habere.

ALIVD.

Antonius Abbas dixisse fertur ad abbatem pastorem. Hoc est magnum opus hominis, ut non sit securus, sed ut culpam suam super se coram domino ponat, & expectet tentationem usq; ad ultimũ suæ uitæ tempus.

ALIVD.

Interrogatus est quidam senex, quomodo quidã diceret se uidere aspectum angelorum, ad quod respondit dicens. Beatus est qui semper uidet peccatũ suũ, et non gloriatur de uisionibus angelorũ.

ALIVD.

Interrogatus alius quidam senior, quo pacto anima humilitatem posset consequi? Respondit. Si sua tantummodo mala homo consideret.

ALIVD.

Sæpe dixit diuus Antonius, ea de causa relinqui

linqui nos in sordidis cogitacionibus ut nosmetipsos & nostram sentenciā condemnemus, & ne quid de nobis præsumamus, ac superbi simus.

EXEMPLA DE ORATIONE, ET quòd eam impedire conetur Satanas.

SAnctum quendam senem interrogauit frater quidam: Quid faciet homo in omni tentacione quæ accidit ei, & quomodo resistet cogitatiõibus malis? Respondit, Orare debet et plangere in conspectu bonitatis dei & succurrens auxilietur ei. Scriptum est enim, Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.

ALIVD.

Cũ quidā fratres de modo orādi ex beato Machario quærerent, respõdit illis, Non sunt uobis necessaria superflua uerba, sed manus extendere, & dicere. Deus quomodo uis, & sicut placet tibi, ita fiat. Si autē tentatio irruerit, dicēdũ. Domine deus auxiliator dignare nobis succurrere, tu enim scis quid nobis expediat, fac nobiscum misericordiā. Testatur hoc exemplũ non fuisse in primitiua ecclesia tam superstitiosos sanctos patres, quēadmodũ postea in papatu cœperũt fieri in legēdis horis

Canonicis absq; omni intellectu, ita ut maxima pars ne cogitaret quidem quid legeret aut oraret.

ALIVD.

Interrogatus Abbas Agathon à fratribus: Pater, quæ uirtutum in cōuersatione plus habet laboris? Respondit: Non puto alium laborem grauiorem esse, quàm orare deum. Dum enim uult homo orare deum suum, semper hostes dæmones festinant interrumpere orationem eius, scientes quòd nulla re alia perinde impediuntur, quàm per orationem fusam ad Deum, siquidem omnis alius labor, quem homo Christianus assumpserit, habet aliquam requiem. In orando autem necesse est ut adsit magnum certamen usq; ad ultimā exhalationē.

ALIVD.

Dicebat alius quidam senex pater, Sicut impossibile est, ut uideat quis in aqua turbida faciem suam, sic & anima seu cor nisi purgatum fuerit à cogitationibus alienis, non potest serio orare deum, atq; huc accommodari illud potest quod in Ecclesiastico scriptum est: Præpara cor tuum ad orandum &c.

ALIVD.

Abbas Antonius cum concionaretur quibusdā fratribus, iniuriam illatā ferendam esse iuxta Christi senten

sti sententiam: Si quis percusserit te in unam max illam præbe illi & alteram. Et cum responderent quidam ex fratribus se hoc non posse, respondit ille, Infirmi estis ideoq; oratio uobis est necessaria, per quam infirmitas uestra sanetur.

ALIVD.

Accidit ut nocte quadã diabolus pulsaret ostium cellulæ Abbatis Macharij sub specie monachi inquiens, Surge Machari & eamus ad collectam ubi fratres ad uigilias congregantur. Ille uero ut erat uir pius & non imprudens intellexit Satanæ illusionem inquiens. Quid tibi consorcij est cũ collecta & cœtu sanctorum, nam ueritatis hostis es. Cui ille respondit, An nescis o Machari quòd sine nostra præsentia nulla collecta peragitur. Veni igitur & uidebis. Cæterum cum sub eandem horam psallerẽt Monachi, abijt ad collectam Macharius. Ibi uero inter psallendũ uidit tanquã paruos æthiopes, discurrere per totam ecclesiã, & alios dormitantes, alios oscitantes reddere. Porro post psalmos cantatos inter orandum iam procumbentibus fratribus, uidit Macharius illos ipsos æthiopes iterũ percurrere singulos, & ante aliũ quidẽ iacentẽ in oratione quasi in mulieris speciem uertebantur, ante alium quasi ædificantes & portan

tes aliquid, aut diuersa quæq; agentes apparebāt. Et quæcunq; dæmones hoc modo quasi ludētes formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione uersabant. A quibusdam tamen fratribus ubi aliquid horū agere cœpißent, quasi uiolēter præcipites repulsi deijcebātur, ita ut deserere eos cogerētur. Porro finita oratione quæsiuit Macharius ex fratribus an ne inter orandum cogitaßent ex ipsis quidam uel de mulieribus, uel de ædificando, uel proficiscendo, uel de alijs deniq; rebus, quas ipse uiderat agitari à dæmonibus. Illi uero confitebantur fuisse in suis animis tales cogitaciones sicut quærebat Macharius. Tum uero re ipsa intellexit Macharius, insidiari Satanam hominibus pijs inter orandum, ideoque monuit non segniter orandum, neq; psallendum temere & sine intellectu, sicut illi plærumq; faciunt, qui non ex adfectu & fide, sed ex multitudine uerborum oracionem æstimant, & interea alia alijs de rebus uel loquuntur uel cogitant. Proinde grauißime dixit Macharius, Christo coniuncta mens præcipue in tempore oracionis intenta esse debet, ut nihil malum, nihilq; superfluum recipiat, atq; hoc ipsum haud dubie est, quod in Ecclesiastico scriptum legis. Præpara cor tuum ad orandum, ne ten-
tes deum

tes Deum. Nam negligenter & sine intellectu orare ac legere psalmos, est uere tentare Deum, & planè ludibrium Satanæ. Neq; enim potest portentosior alius ludus esse, quàm ridicula illa uanitas illarum cogitacionum, quæ uenire solent in illorum animos, qui ex consuetudine, non ex adfectu & necessitate aliqua orant.

EXEMPLVM INSIGNE DE discrimine inter infirmitates morum & inter impiam opinionem in causa fidei.

AGathon, uir pietate & pacientia insignis, atq; adeo ex magnis patribus unus: Hunc pertentandi gratia accesserunt quidam fratres exploraturi an pacienter conuitia posset sustinere. Audiuimus, inquiunt, certo te superbum esse, & contemptorem aliorum, præterea & adulterij crimini obnoxium, ideoq; multos offendis. Ad hæc eciã illud accidit, quod maximũ est, cõperimus te hæreticũ esse. Ad quæ ille respondit, peccatorẽ me esse nõ nego, & quæso uos orate

pro me deum, ſed hæreticus non ſum, & hoc uici-
um nulla pacientia poſſum aut uolo diſsimulare
Porro cauſam illis quærentibus, quare pacienter
ferret criminum conuitia, hæretici nomen non fer
ret, reſpõdit. Facile diſsimulo omnia cõuitia Chri
ſti exemplo, qui falſa teſtimonia nõ refellit, imo &
me eſſe peccatorem agnoſco, cæterũ ſermonẽ, quẽ
de hæreſi mihi obieciſtis non potui ſuſtinere, quia
hæreſis ſeparat hominem à deo, & adſociat diabo
lo. Alienatus enim à Chriſto non habet deum, quẽ
oret pro peccatis ſuis. Apparet ſanè ex hoc exem
plo extitiſſe olim inter patres illos, uiros grauiſsi
mos & magno iudicio præditos in cauſa religio-
nis. Nam ex hoc exemplo ſatis poteris æſtimare, fu
iſſe hunc Agathonem non ſuperſtitioſum aut impe
ritum monachum, ſed uirum pium & prudentem
pariter, quippe qui tam accurate & diſerte diſtin
guere potuit inter fidei peccatum, & peccatũ ſeu
infirmitatem morum uitæ.

EXEMPLA MODESTIAE CHRI-ſtianæ contra ambitionem & arrogantiam.

MOnachi in eremo Scythiæ conſenſerant,
ut pater Iſaac eis preſbyter ordinaretur
in Eccle

in Ecclesia, quæ in eremo sita erat. Porrò ubi hora & die statuto conueniunt ad electionem Monachi, & cognito consilio illorum profugit Isaac in eremū Aegypti detrectans presbyterij onus, & indignum se tanto ministerio existimans. Cæterum quàm plurimi fratres secuti sunt uolentes reuocare hominem, & cogere ad suscipiendū Ecclesiasticum munus, & cum forte pernoctarent cum asinis in agro, contigit aberrare asinum longius in eremum ad eum usq; locum ubi latitabat Isaac. Proinde quærentes fratres amissum asinū, reppererunt forte per occasionem & Isaac patrem, quem comprehendentes etiam ui cogere et ligare ac reducere ad fratres uoluerunt. Sed hoc uidens Isaac pater non restitit amplius pertinaciter, sed ultro acquieuit uocationi, non dubitans ita placere deo. Non possum inquit, uobis contradicere amplius, quia forte uoluntas dei est, ut licet ego sim tāto hoc munere in Ecclesia indignus, tamen presbyterij ordinem suscipere cogar. Neque uerò hic sentiendum est presbyterij ordinem de Missandi officio intelligendum esse, sed quòd alijs fratribus omnibus præesse debebat Isaac, in recte docendo uerbo dei, & interpretandis scripturis sacris. Nam ad hunc modū quoq; de presby

teris Paulus Apostolus docet.

ALIVD.

Quidam frater quocies uel deridebatur, uel iniuria afficiebatur, tāto plus ille gaudebat inquiens. Isti sunt qui occasionem nobis præbēt ad profectum nostrum. Nam qui commendant nos, conturbāt animas nostras. Scriptum est enim. Væ uobis cum laudauerint uos omnes homines.

ALIVD.

Iudex quidam nobilis magno cum comitatu uenit ad abbatem Symeonē uirū pietate insignem. Voluit enim uidere & audire eum, quem iam antea à multis prædicari audierat. Proinde discipuli quos habebat præcedentes admonuerunt eum de aduentu iudicis dicentes. Abba para te, quia iudex fama & celebritate nominis tui permotus uenit ut loquatur tecum, et benedictionē à te accipiat. Quibus ille dixit. Etiā ego me præparabo. Et abiecta meliori ueste cooperuit se sacco, et tollens in manu sua panem & caseum sedit in ingressu cellæ suæ & cœpit manducare sub ipsum aduētum iudicis, qui ubi aduenit cum suo satellitio, eumq; conspexit talibus moribus utentem, omnem de Symeone patre conceptam opinionem abiecit, cœpitq; contemnere eum, & addidit, Hic

cine

uine est monachus ille solitarius, de quo talia audiebamus? & statim relicto eo discessit Iudex cũ suo comitatu.

ALIVD.

Agathon Abbas interrogatus aliquando à fratre quodam, quomodo optime poßet habitare cũ fratribus. Respondit Sicut primo die quando ingressus fueris ad eos, ita custodi conuersationem tuam omnibus diebus uitæ tuæ, & caue ne sis arrogans & ambitiosus præ alijs.

ALIVD.

Arsenius Abbas dixit. Peregrinus Monachus in aliena prouincia habitãs nullis rebus se immiscere debet, neq; arrogare sibi temere aliquid, & quietus erit. Cicero idem præcepit, Peregrinum non debere curiosum esse in aliena republica.

ALIVD.

Abbas Sysois cum sederet quodã tempore assidẽte fratre altero quodã, raptus est extra se, et audiẽte fratre nesciẽs suspirauit, itaq; pœnitẽtia ductus ait. Ignosce quæso mihi frater, nec dum enim cognosco me esse monachum, quia audiente altero suspiraui. Quocies autem idem

senex manus suas erexit ad cœlum, cito deponebat manus, quia uerebatur, ne si hoc uideret quispiam, uanæ gloriæ crimen incurreret.

ALIVD.

Abbas Macharius, si quis illum cum timore & reuerentia ueluti sanctum uirum uolebat adire et alloqui, illi nullum penitus responsum dabat. Si quis ueluti contemnens eum aut alioqui familiariter allocutus fuisset, cum illo benigne conuersabatur. Sensit arrogantiam & inanis gloriæ cupiditatem ueluti pestem quandã fugiendam esse homini Christiano, et recte profecto sensit. Nam omnes reliquos uitæ morbos & infirmitates facile tolerare & dißimulare potest deus. Arrogantiã & præsumptionem nostram non fert.

EXEMPLA DE IEiunio.

INTERROGATVS Abbas Poemẽ quomodo ieiunare oporteat, respondit. Abstinere à crapula & quotidie frugaliter comedere. Nam, inquit, biduana & triduana ieiunia uanæ gloriæ uacant. Senserunt enim sancti patres sic optime ieiunare homines, ut quotidie parum comedant, ut sitiant quotidie & esuriant. Apparet

satis

satis ex his uerbis optime intellexisse patres in primitiua Ecclesia non requiri à Christo superstitiosa ieiunia, quando dixit. Cauete ne corda uestra grauentur crapula & ebrietate.

ALIVD.

Accidit ut in die festo prãdentibus Monachis, unus ex fratribus diceret. Quia nihil coctum comedo, salem mihi deferri cupio, quo uerbo minister audito clara uoce cæteris audientibus hoc fieri iussit. Tunc beatus Theodorus dixit. Oportuit te frater magis carnes comedere, quàm hunc sermonem præsentibus fratribus dicere.

ALIVD.

Senior quidam de ieiunando interrogatus dixit. Melius est manducare carnes, & bibere uinũ, quàm manducare carnes fratris per obtrectationem.

EXEMPLA CONTRA operum fiduciam.

CVM puella quædam tristaretur propter lapsum & peccata sua, quæreretq; consilium ex eremita Abraham. Is sic eam consolatus est inquiens. Noli timere, lubricum enim est genus mortalium, sed sicut citius cadit, sic ite

rum per dei adiutorium surgit uelocius, quippe qui misericors est & peccantes non uult mori, sed uiuere. Fuisse autem hanc ipsam neptim Abrahæ eremitæ ex fratre, testantur historiæ.

ALIVD.

Abbas Agathon dum moreretur per tres dies oculos apertos tenuit, ne mouens quidem eos, fratres ergo tangentes eũ dixerunt. Vbi nunc es pater? At ille ait. in cõspectu iudicij dei sto. Cui fratres, non confidis in opera tua, quæ fecisti secundum deum? At ille respondit, non confido in conspectu dei, quia aliud est iudicium dei, aliud uerò hominum. Voluit enim significare pius uir, corã deo neminẽ propter sua opera posse iustificari, sed propter Christum tantum.

Fides sine bonis operibus mortua [illegible] enim per Doctorem [illegible]: Creavi te sine te n[illegible] possum salvare te sine te.

ALIVD.

Quidam frater quæsiuit ex Abbate Pimenio. Vtrum melius esset remotius extra hominum consuetudinem, an cum alijs uiuere? Respõdit senex. Homo si semetipsum reprehenderit, ubiq; potest persistere, si autem se magnificit & exaltat, nunquam stat sicut scriptum est. Qui se existimat aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit. Quicquid enim boni fecerit homo, in hoc se exaltare & fiduciam ponere non debet, quia alioqui mox perdet illud.

EXEMPLA DE VSV ET exercitio uerbi dei aßiduo contra Acidiam.

QVIDAM frater dixit ad seniorem quendam patrem. Ecce pater, quia subinde audio conciones sacras, & frequenter interrogo seniores ut doceant me de salute animæ, sed quicquid audio illius statim obliuiscor neq; retinere poßum. Porrò erant seni duo testacea uasa uacua, & præcipit ei, inquiens, uade & adfer alterum uas, & infunde aquam, ac perlue & effunde, & purgatum repone in locum suum. Id uerò fecit frater semel atque iterum, & quæsiuit senex. Quæso te utrum uas purius est? ad quod ille, id quod iam elui. Tunc senex ait. Sic est & anima fili, quæ frequenter audit uerba dei. Quamuis nihil retineat ex his quæ audit & interrogat, tamē plus mundatur, quàm illa quæ non requirit uerbum, & non curat audire.

ALIVD.

Dixit Palladius Abbas, oportet animā secundū Christi uoluntatem conuersantem & discere fideliter quæ nescit, & docere manifeste, quæ nouit. Si autem utrunque cum poßit non uult, insaniæ

morbo laborat. Initium enim recedendi à deo fastidiũ doctrinæ est, & cum nõ appetit illud, quod semper anima esurit, quæ diligit deum.

ALIVD.

Interroganti cuidam Abbatem Pimenionẽ de duritia cordis, respondit senex. Natura aquæ mollis est, & lapidis dura, sed tamen subinde stillans aqua perforat lapidem. Sic & uerbum dei subinde auditum emollit duriciẽ humani cordis. & adfert timorem dei.

EXEMPLA DE NON TENtando deo, & quòd sub Euangelio ociosos & securos nos esse non decet, sed quisq; laborare debet in suo uitæ genere.

QVIDAM frater peregrinus uenit ad abbatem Syluanum, & cum uidit laborare fratres ait. Cur operamini cibum, qui perit? Maria optimam partem elegit. Quod cum audisset senex, homo pius & prudens, præcepit discipulo suo inquiens. Da illi codicem, ut legat, & perduc eum in solitariã cellam ubi nihil cibi est. Porrò sub prandij horam esurire cœpit frater, sperabatq;

sperabatq; se quoq; pransurum cum fratribus reliquis, sed non uocabatur, itaq; fame premente ipse tandem accesßit abbatem cibi sumendi caussa inquiens. Cur ego non sum uocatus ad prandium? Cui Syluanus facete admodum respondit. Tu homo spiritualis es, & non habes opus carnali esca, nos uerò homines carnales cibo opus habemus, ideoq; operamur & laboramus. Tu autem bonā partem elegisti. Quod cum audisset, pudebat eū suæ superstitionis, quod prætextu pietatis ocium quærebat, & subducebat se à laboribus. Ad eundem modum Paulus præcepit labore parandum uictum, ne quis ocium sectetur sub prætextu Euāgelij, & grauis sit alijs fratribus. Qui non laborat, non manducet,

ALIVD.

Ioannes quidā abbas dixerat aliquādo ad fratrē quendā maiorem suum. Volo esse securus sicut angeli sunt securi nihil operantes, sed sine intermißione seruientes deo. Et abiecto uestitu abijt in solitudinem, idq; per unam septimanam, postea reuersus statim est ad fratrem suum. Et dum ostiū pulsaret, noluit aperire frater, nisi prius diceret quis nam esset, & quo nomine uocaretur. Respondit itaq; se Ioannem fratrem ipsius esse.

Cui ille, non aperio tibi, nam Ioannes angelus factus est, & amplius inter homines non est. Ille uero cum strenue interim esuriret, & tempestatis uehementia ac imbribus affligeretur per noctē, receptus est à fratre in cellam primum sub ipsum exortum diei, & grauiter simul obiurgatus ob inertiam & superstitionem. Si, inquit, frater homo es, & laborare te oportet, ut uictum tibi compares. Ille errorem suum agnoscens delicti ueniam postulauit.

ALIVD.

Monachus quidam Thebanus deputatus diaconus erat, ut ministraret pauperibus & uiduis necessaria. Contigit aūt ut cum distribueret eleemosynas, ueniret mulier quædā ad accipiendā eleemosynā, quæ lacera ueste induta erat. Quā cū uidisset ita laceram, impleuit manum, ut plus ei quàm cæteris daret. Sed quid fit? Clausa est mirabili quodam fato manus eius & leuauit parum pecuniæ tantum, quod mulieri porrexit. Alia uerò uenit ad eundem diaconum bene uestita, & uidēs uestes eius satis bonas parca manu quantum satis putabat dare ei uolebat, & inter dandum aperta est ei manus, & multum ei dedit. Porrò

cum de utriusque mulieris conditione esset percontatus, deprehendit illam quæ bonis uestibus induta erat de honestis parentibus prognatam ad inopiam deuenisse. Illa uerò alia tantum sic lacera studiose erat, quod ad accipiendum uenerat auariciæ magis quàm necesitatis caussa.

ALIVD.

Monachus quidam fratrem laicum habuit cui omnia uitæ necessaria præbuit, sed quanto plus præbuit, tanto minus habuit, & maiorem inopiam paciebatur. Quod cum indicasset frater seniori cuidam patri ita accidere suo fratri, respondit ille. Præcipe tuo fratri, ut ipse suo labore uictum sibi paret. Nam Monachorum res ignis est, ubicunque ingreditur, consumit omnia. Hoc autem utile est tuo fratri ut de labore suo misereatur & conferat eleemosynas, & ipse non uiuat de alieno labore ociosus. Acquieuit consilio senioris patris, & iussit ut frater suus ipse laboraret, neque ita pergeret ex alieno ociosus uiuere, quod cum fecisset, sensit mirabiliter opes suas ex benedictione domini augeri, adeo etiam quòd postea ipse aliis eleemosynas largiri potuit.

EXEMPLVM QVOD LARgis benedicit Deus, iuxta illud, Date & dabitur uobis, etiam tempore famis.

SENEX quidam cum alio fratre habebat cõmunem uictum. Erat autem senex ille misericors qui quotidie multa inopia laborantibus largiebatur. Accidit autem forte, quòd fieret in in ea regione fames, eaq; occasiõe cœperũt multi uenire ad senis domum, ut acciperent agapen, & ille omnibus uenie͠tibus panem dabat. Quod cum uidit frater, indigne admodum tulit inquiens. Da mihi meam partem de panibus, & quicquid uolueris de parte tua facito. Id uero haud quaquam grauatim fecit senex, qui nihilominus de sua parte pro solito suo more pergebat benefacere, & distribuere pauperibus, qui in tanta caritate annonæ magno numero ad eum confluebant. Cæterum factum est, quòd benedictione dei mirabiliter aucti sint panes huius senis. Alter uerò frater consumptis suis panibus nõ multo post egere cœpit, & peciit ut iterum sibi liceret cum patre seniore communẽ uictum habere, quod ille facile permisit. Contigit autem, ut frater ille rursus uideret deficere panes, & cum pauperi aliquid dandum, dixit

it panem deesse. Senex uerò iußit dari panem, & quæri. Proinde ingressus frater uidit sportas magna panium copia repletas. Quod cum uidisset timuit, & dedit pauperi, atq; hoc modo per experientiam didicit credentes deo curæ esse, & ali ex benedictione dei etiam tempore famis.

EXEMPLA DE VOCATIONE, quod in ea manendum sit contra πολυπραγμοσύνην.

FRATER quidam erat in cœtu Monachorum, et cum esset in publico quodam ministerio constitutus irrequietus & animo plerunque iracundo fuit, propterea quòd offendebatur subinde cum uideret, quod displicebat. Constituit igitur in loco solitario extra congregationem secum priuatus uiuere, ne quid uel uideret uel audiret quod poßit offendere. Ero inquit animo trãquilliori cum solus sum, & non habeo quenquam quem uel audiam, uel quo cũ loquar. Accidit autem tempore quodam cũ iam esset in solitario loco, quòd cum aquam hauriret ex profundo puteo forte contigit, quod urna euerteretur, et id per occasionem semel atq; iterum factum est. Quare cũ

motus ira, perfregit urnam & abiecit. Reuersus autem ad se cognouit adfectus uitiosos nulla mutatione loci propulsari, sed semper & ubique nobis adhærere, & comitari. Reuertar igitur inquit in collegium fratres. Nam ad uincendos afsectus opus esse uideo labore & pacientia, & maxime dei adiutorio. Itaque rediit in congregationem fratrum, & intellexit in publicis ministerijs non posse corrigi simul omnia, sed opus esse pacientia, & dißimulatione.

ALIVD.

Interrogatus diuus Antonius à quodã. Quid obseruando deo placeret. Respondit. Habeto deum præ oculis, & quodcũque opus exerces sume ex diuinis scripturis exempla, & in quacunque cõdicione seu uocatione fueris, eam retine, & pacienter in ea consiste.

ALIVD.

Interrogauit frater quidam seniorem. In quo bono opere me debeo exercere? Respondit abbatem Nestorem amicum Antonij similiter à quodã interrogatum dixisse. Non sunt omnia opera æqualia. Scriptura enim alia opera in alijs sanctis commendat, id quod exẽplo Abrahæ, Eliæ & Dauidis testatur. Tu igitur in tua uocatione secundum

dum deum age, et custodi cor tuum.

ALIVD.

Dicebāt patres. Si tibi contigerit tentatio in loco ubi habitas, non deseras locum in tempore tribulationis. Quòd si deserueris, quocunq; perrexeris, inuenies quod fugisti. Quare paciens esto in tua uocatione donec transeat tentatio, ne discessio tua alijs scandalum fiat.

EXEMPLVM DE PACIentia in aduersis.

DIXIT quidam senex. Si corporis infirmitas te occupârit, noli pusillanimis fieri, quia si te Deus corpore uult debilem fieri, quis es, qui si moleste suscipias? Nōne ipse pro te cogitat de omnibus? nunquid sine ipso uiuis? Pacienter ergo fer, & ora deum, ut donet tibi quæ expediunt, & sede cum pacientia manducās quod habes in charitate.

EXEMPLVM DE FVGIendis uanis & inutilibus quæstionibus in caussa pietatis.

ANachoreta quidā ad Abbatē Poemē uenit,

à quo cum læticia susceptus est, & cum alterutrũ se cõplexi essent amanter, cœpit ilico Anachoreta de cœlestibus rebus et sublimibus quæstiõibus cõferre. Tũ senex auersa facie ne respõdere qdẽ uoluit, sed tacuit prorsus. Tristis alter, qui nulla alia de caussa longo itinere aduenerat, quàm ut cum eo conferret, causam silentij quærit et rogat, quare respondere non dignetur. Cui senex ait. Tu homo de superioribus es, et cœlestia tantum loqueris, ego autem de inferioribus sum, & terrena uix loqui possum. Si mihi aliquid dixisses de peccatis & paßionibus humanis, & ego ultro tibi respondissem. Tum uerò Anachoreta uanitatẽ & errorem suum agnoscens, gratias etiam egit, quòd hac ratione in uiam reuocaretur. Non dubium est Poemen patrem magna pietate & iudicio præditum respexisse ad id quod Apostolus Timotheo præcipit. Vanas & inutiles quæstiones deuitandas esse, pariunt enim contentiones & nihil conferunt ad ædificationem.

EXEMPLVM QVOD INGRATITUDO & contemptus Euangelij in caussa est quòd obscuratur doctrina fidei.

Venerunt

VEnerunt quidam ad Abbatem Fœlicem rogantes ut diceret eis ſermonem. Illis uero inſtantibus & urgentibus tandem dixit ſenex, Modo non eſt ſermo & ſpiritus interpretandi ſcripturas. Quondam enim interrogabantur ſeniores, & faciebant fratres ac auditores quæ docebantur, tum dominus graciam dabat quomodo loquerentur. Nunc autem interrogant quidem, nõ autẽ faciunt, quæ audiũt, abſtulit Deus graciam à ſenibus, ut non inueniant, quid loquantur, quoniã qui operetur non eſt, Quod cum audiſſent ingemuerunt, & ſimul rogabant ſeniorem, ut pro ipſis oraret.

EXEMPLVM DE PRIVAtæ confeßionis & abſolutionis uſu.

ABbatem Caßianum dixiſſe ferunt. Valde bonum eſt non abſcondere cogitationes, ſed ſenibus ſpiritualibus, & diſcretionem habentibus eas manifeſtare, non his tantum, qui ætate ſenes ſunt, ſed qui cognitionem uerbi dei habent. Quoniam multi, qui quando ad ætatem reſpexerũt, & cogitationes ſuas illis aperuerũt, qui

ſenes ſtupidi & imperiti erant, ſine omni conſolatione diſcedentes uel ad ſuperſtitionem, uel ad extremam deſperationem peruenerunt.

EXEMPLA DE APPARITIonibus ſpirituum, quibus credendum non eſt.

Dicitur de ſene quodam, cui ſub Chriſti perſona oſtendit ſe diabolus inquiēs. Ego ſum Chriſtus, en reſpice me. Ille oculos claudēs dixit. Ego hic Chriſtum nolo uidere, ſed in alia uita, ego enim meo Chriſto dicenti credo. Si quis uobis dixerit: Ecce hic Chriſtus, ecce illic, nolite credere. Quo dicto ſtatim euanuit ex conſpectu ſenis.

ALIVD.

Cuidam fratri homini pio apparuit diabolus transformatus in angelum lucis & dixit ad eum. Ego ſum angelus Gabriel quare clauſiſti oculos tuos? ego. n. ad te miſſus ſum. Ille autē dixit ei, uide forte ne ad aliū quempiā ſis miſſus. Ego. n. non ſum dignus ut angelus mittatur ad me. Porro dicebant patres ſeniores, qui intelligebant illuſiones Satanæ. Quòd ſi uerus eciam angelus tibi appareat.

non ſuſcipias

nõ suscipias eum, neq; credas ei facile, sed dicito: Non sum dignus uidere angelum uiuens in peccatis. Vsq; adeo periculosum sentiebant sancti patres uisionibus spirituum credere, qui certe multo prudentiores extiterunt illis patribus & Episcopis, qui postea per apparitiones spirituum decepti sunt, & à doctrina fidei ad operum fiduciam, & humanas satisfactiones defecerunt, & suo exemplo ob speciem sanctimoniæ alios quoq;, imo totum fere orbem in similes errores coniecerunt, id quod palàm constat de Gregorio Papa.

EXEMPLVM DE VARIIS TENtationibus Satanæ, quibus oppugnat credentes.

MAcarius Abbas referebat, quòd cum in solitudine esset solus, uiderit sub ipsum occasum solis per uiam diabolum transeuntem, & undique ab eius corpore multa uascula dependere, & cum uideret eum magna celeritate properare in proximam solitudinem, quæ plena erat multis fratribus, dixit ad eum. Quò

uadis maligne? Cui ille. Vado ad conturbandum & commouendum fratres. Cui senex. Cur tot uascula portas? Ad quod ille: Gustum fero fratribus, & ideo tot & tam uaria fero, ut si unum non placuerit, porrigam aliud. Quòd si & illud displicuerit, ostendam item aliud, atq; ita fieri non potest, quin unum aliquod ex illis placeat eis, & hæc dicens discessit.

EXEMPLA DE SERVANDO MOdo & discretione in operibus & castigationibus corporalibus contra homines quosdam inciuiles & superstitiosos.

Dicere solebat Antonius. Quia quidam qui non castigant sed conterunt corpora sua in abstinentia, & quia discretionem non habent, longè facti sunt à deo, quòd neq; seruire proximo, neq; utiles esse in suo ministerio potuerunt, id quod de se dicitur Diuus Bernhardus conquestus esse.

ALIVD.

Accidit

Accidit quòd uenator quidam superueniens in eremo uideret Diuum Antonium cum fratribus ludentē, id quod offendit eū, Antonius itaq; ut erat pius uir & prudēs pariter ostendere uoluit, quòd oporteret aliquando remitti fratrū labores, dixit ad uenatorem. Age pone sagittam in arcu tuo, & intende neruum. Id uero ultro fecit uenator. Idem ut rursus & sine intermißione faceret, præcepit. Respondit itaq; uenator, se non posse toties intendere arcum, & tam diu intentum retinere, nisi rūpere tandem et perfringi neruum cum arcu uellet: Tum uero dixit Antonius. Ita quoq; est in exercitijs pietatis Quòd si supra modum & sine mensura tendimus fratres, cito deficiunt. Expedit ergo, & laboribus eorum quietem aliquam & cessationem nonnunquam intermittere. Poeta idem dixit uno uersiculo. Quod caret alterna requie durabile non est.

ALIVD.

Quodam tempore cōuenerunt plurimi seniorū ad beatum Antoniū in Thebaide partibus commorantem, ut de rebus sacris cum eo conferrent. Et cum hæc quæstio esset proposita inter patres: Quæ nam uirtus Christianum hominem in officiis pietatis rectè conseruaret, alij aliter responderūt,

quisq; pro suo captu, senserunt enim alij id commo de ieiunijs uigilijsq; fieri, alij uero nuditate & cõtemptu rerum externarum, alij eciam conducere ad hoc uitam solitariam, quidam eciam id per charitatis officia erga hospites fieri posse censebant, & cum dissentirent inter se opinionibus patres, respondit tandem beatus Antonius inquiens. Omnia quidem quæ dixistis utilia sunt Christianis, sed his principalis gracia tribuenda non est, idq; plurimorum fratrum casus confirmant, qui uersantes in his obseruationibus decepti sunt; eo quòd in bono quod cœperant, modum & discretionem non tenuerunt. In omnibus ergo quæ agimus discretio anteponenda est. Constat sine discretionis gratia & modo, nullam perfici uel diu stare uirtutem posse. Voluit haud dubie significare sanctißimus uir, moderatione quadam utendum esse unicuique in faciendo officio suo, ut nec laboribus & ieiunijs frangatur corpus, neque rursus ocio & luxu diffluat. Porrò addidit diuus Antonius exemplum Heronis senis, quo ostendere patribus uoluit, non posse sine graui periculo corporis & animæ prætermitti modum ac discretionem. Vixit, inquit, hic senex solitariam uitam, nam perpetuo intra cellam suam latitauit, & magna

& magna quadam seueritate animi immutabilem ieiunij continentiam exercuit, adeo eciam, ut nec in die Paschæ rigorem abstinentiæ solueret. Sed quid factum est, tandem præsumptione sua deceptus semetipsum in profundißimum puteum præcipitauit, idque ex persuasione Satanæ, qui sese in angeli cœlestis formam commutauerat, eique consuluerat, hanc esse uoluntatem dei, ut hoc modo suæ uirtutis magnum meritum probaret, si inde illæsus exiret. Sed uix semiuiuus ex puteo cum ingēti omnium fratrum dolore extractus est, & triduo post uitam finiuit. Et id quod deterius est, ita in deceptionis suæ pertinacia permansit, ut nullis uerbis sibi passus sit persuaderi, se Satanæ calliditate fuisse delusum.

ALIVD

Addidit hoc quoque exemplum inquiens. Quid eciam de illo Monacho referam, cuius nomen, quia ad huc superest, sileo. Is longo tempore diabolum in angeli claritate suscepit, reuelationibus eius sæpe deceptus credidit eū internunciū iusticiæ eße. Nam per oēs noctes in eius cellula lumē absq; ullius lucernæ officio præbebat diabolus.

Ad extremum uero iußit eum filium suum, quo cũ eo pariter in eodem monasterio commanebat, offerre uictimam deo, ut scilicet hoc sacrificio Abrahæ patriarchæ meritis coæquaretur. Cuius persuasione ille seductus hoc cœpit tentare, & sacrificasset filium, nisi per occasiõem puer de cella ex eius manibus elapsus celeriter aufugisset.

EXEMPLVM DE ORIGINE erroris Berengarij & sacramentariorum.

IN libro de contemplacione in Vitis patrum hoc extat scriptum, quòd Arsenius dixit uidisse se senem pium & magni nominis in Scythia, qui in eo erat errore, quòd asserebat, non esse naturaliter & uere corpus Christi panem consecratum, quem sumimus, sed figuramt tantum eius esse. Quod cum audissent patres refellerunt hunc errorem, & quia non ex malicia tuebatur ille istã hæresim, ideo oracionibus fratrum adiutus resipuit, & agnouit errorem suum. Apparet ex hoc exemplo sacramentariorum errorem, qui nostra ætate renatus est, non esse nouum sed olim quoq; fuisse, sicut & aliæ sectæ.

Exemplum

EXEMPLVM, QVOD ASSIDVO exercitio ac ſtudio opus ſit in diſcē do Verbo Dei.

PAmbus quidam in eremo degens, cum ſine literis eſſet, acceßit ad quendam ut doceretur pſalmum: Qui cum audiſſet primum uerſum triceſimi octaui pſalmi; Dixi cuſtodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea: Secundū uerſum nō paſſus eſt audire, dicēs, Si potuero opere hoc implere, hic uerſus tātūmodo mihi ſufficiet. Cæterum cum doctor ille, qui ei tradiderat hunc uerſum ægre ferret ac culparet, quòd per ſex menſes ad ſe minime ueniſſet, reſpondit: Quia uerſum illum nondum plene didici, nec opere adhuc impleui. Poſtea uero cum multos ſuperuixiſſet annos, à quodam noto rogatus an didiciſſet uerſum: Quadraginta & nouem, inquit, annis uix eum implere ualui.

ALIVD:

Is Pambus Athanaſio Epiſcopo precante, ab eremo deſcendit in Alexandriam, Cunq; uidiſſet ibi mulierem theatralem, lachrymas emiſit ilico. Rogatus autē ab ijs qui tum forte aderant, cur ploraret, reſpondit: Duæ me res mouerunt: Vna, quæ

est huius mulieris perditio: altera uero, quòd ego non tantum studeo placere deo meo, quantum hæc studet, ut turpibus placere hominibus poßit. Et est profecto sic nobiscum comparatum, ut pleno gressu ac magno impetu ad mala feramur, cum ad bonum uix ullis precibus aut commodis propositis adduci queamus.

Basilij Magni memoranda sententia.

Humanam scientiam reddit crebra meditatio & exercitatio meliorem, eam uero quæ gratia dei conceditur, iustitia, pacientia, atq; misericordia. Et humanã quidem eciam paßibiles suscipere poterunt, diuinæ impaßibiles tantummodo sunt capaces.

EXEMPLVM QVOD AFFLI ctiones & infirmitates patienter sint ferendæ.

STephanus monachus circa Mareoten habitans, sobrie admodum & continenter uixit, ac circa sexaginta annos monachus probatißimus, fuit

mus fuit, ipsi uero Antonio per q̃ familiaris. Fuit hic ualde mansuetus & sapiens, ac in sermone sua uis & utilis, & tristantium animos consolatione reficiens & alacritatem reuocans, tum eciam cũ necessaria tribulatio accidisset. Ac talis eciam in proprijs calamitatibus inuentus est. Nam cum infirmitatem incurabilem incurrisset, Et medici putria membra eius incidissent, ille manibus tamen operabatur, uictumq; honeste sibi quæsiuit, palmarum plectens folia, & persuadens præsentibus, ut propter huiusmodi incommoda non dolerent, sed pacienter aduersa ferant, neq; aliud cogitarent, nisi de bono fine. Deus, inquit, quæ fecit, cuncta utilia sunt. Ego autem noui huiusmodi morbos propter peccata accidere. Et melius est hic per pacientiam afflictiones & pœnas perferre, quàm post mortẽ perpetua supplicia sustinere.

EXEMPLA DE IIS QVI SE ad tempus Christianos fingunt.

TEmporibus Iuliani Imperatoris plurimi fuerũt non recta mente Christianũ nomẽ habẽtes, quippe qui pecunias & honorẽ præsentẽ fœlicitati ueræ fidei præponerent, ad sacrificia idolorũ descenderũt, cõtra conscientiã agentes. Inter hos nõ postremus fuit Sophista Cõstantinopolitanus Ecebolus, qui et Iuliano ipsi Rhetoricæ professor aliquando fuit. Is mores Imperatorum sequens, sub Constantio quidem feruentißimum se finxit Christianum, sub Iuliano paganus celeriter est effectus, & rursus post Iulianum uolebat esse Christianus. Prosternens etenim semetipsum ante ianuas Ecclesiæ pronum, magna uoce clamabat: Conculcate me sal insensatum. Quòd si istis temporibus tales fuerunt, mirum non uideri debet, si & nostro tempore, in quo ueritas Euangelij patefacta est, multi propter honores & diuicias consequendas, simulent se fauere Euangelio.

ALIVD.


Ab hoc animo nec ipse Imp. Iulianus abhorruit, qui quũ dudũ integer Christianus fuisset, postea proditor est effectus. Tonsus enim monasticã simulabat uitam, & latenter exercebatur in philosophia, utens lectionibus librorum apud Libanium sophistam, in manifesto autẽ sacros legebat

libros,


libros. Deniq; in Ecclesia Nicomediæ lector est constitutus. Verum hæc ex timore faciebat, nequaquam à spe recedens, quam mente conceperat, dicebatq; plurimis amicorum suorum, fœlicia fore tempora, quibus ipse rerum potiretur imperio. At posteaquam ad imperium euectus est, figmentum Christianismi quod habebat abiecit, et seipsum palàm paganorum pontificem nominabat, adiens diuersas urbes, aperibat templa & idolis offerebat. Omnem etiam deuocionem ministris impijs templorum affluentius exhibebat. Sæpe ciuibus in cõmune rescripsit, ut ad paganos accederent ritus, & eius donatione fruerentur. Christianis se inimicum aperte designabat, quos neq; uenire ad se, neque legationes eorum suscipere uolebat. Vt uero paganismum constabiliret, ac omnes homines ad suscipiendum eum perpelleret, nihil non excogitauit, inter quæ illud præcipue memoratu dignum uidetur, quod de ficta clementia eius refertur. Fertur enim, quum Cõstantinopoli apud Fortunam sacrificaret urbis, accessisse ad eum Mares Chalcedonis, & publice impiũ & ἄθεον, id est, sine deo apostatamq; uocitasse, illum uero solam ei improperasse cæcitatem: erat enim senex, & propter imbecillitatem oculorum manu alterius agebatur.

Adhæc uolens eciam lacerare Deum & conuicijs proſcindere, conſuetè dixit: Neq; Galilæus Deus tuus curare te poteſt. Reſpondens uero Mares dixit: Ego, inquit, Deo meo pro cæcitate gratias ago, quia hoc ideo factum eſt, ne te uideã pietate nudatũ. Imperator autem nihil reſpondens abſceſſit. Sic enim putabat potius roborari Paganiſmum, ſi ſe pacientem ac mitem Chriſtiano populo demonſtraſſet. Verum multa alia extant huius Imperatoris callida conſilia et facta in hiſtoria Eccleſiaſtica, quibus uſus eſt in ſubuertenda religione Chriſtiana. At nos, qui non tam uideri, quàm reuera eſſe Chriſtiani uolumus, ſedulo operã dare debemus, ut bonis operibus & honeſta cõuerſatione inter homines, declaremus nos uera fide prædi tos eſſe in Chriſtum, ne cum ore profiteamur nos eſſe Chriſtianos, factis ipſis negemus. Idq; hoc ardentius conari debemus, quo maior eorum numerus eſt, qui prætextu Chriſtanæ religionis ſuum tãtum commodum agunt.

FINIS.



VITA PAVLI EREMITAE CONSCRIPTA à Diuo Hieronymo Stridonensi.



INTER multos sæpe dubitatum est, à quo potißimum monachorũ eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes, à beato Helia & Ioanne sumpsere principium. Quorum & Helias plus nobis uidetur fuisse, quàm monachus: & Ioannes ante prophetare cœpisse, quàm natus est. Alij autem (in quam opinionem uulgus omne consentit) asserunt Antonium huius propositi fuisse caput: quod ex parte uerum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas uerò et Macarius discipuli Antonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebæũ principem istius rei fuisse: quod non tam nomine,

Eremitarũ origo

quàm opiniõe nos quoq; cõprobamus. Nõnulli et hæc et alia, prout uolũtas tulit, iactitãt: subterraneo specu crinitũ calcaneotenus hominẽ fuisse, et multa quæ persequi ociosum est, ĩcredibilia fingẽtes. Quorũ quia impudẽs mendaciũ fuit, ne refellẽda quidem sententia uidetur. Igitur quia de Antonio tam Græco quàm Romano stilo diligenter traditum est, pauca de Pauli principio & fine scribere disposui, magis qa res omissa fuit, quàm fretus ingenio. Quomodo autem in media ætate uixerit, & quas Satanæ pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur. Sub Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore dãnati sunt, multas apud Aegyptum & Thebaidã Ecclesias, tempestas sæua populata est. Voti tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora. Et ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait: uolentibus mori, non permittebatur occidi. Cuius ut crudelitas notior fiat, duo memoriæ causa exempla subiecimus. Perseuerantem igitur in fide martyrem, & inter eculeos laminasq; uictorem, iussit melle perungi, & sub ardentissimo

ßimo sole, ligatis manibus post tergum resupinari, scilicet ut muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset. Alium iuuenili ætate florentem in amœnissimos hortulos præcepit abduci, ibiq; inter lilia candentia & rubentes rosas, cum leni iuxta murmure aquarum serperet riuus, & molli sibilo arborum folia uentus præstringeret, super extructum plumis lectum resupinari, & ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo cum recedentibus cunctis, meretrix speciosa uenisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus, & , quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare uirilia, ut corpore in libidinē concitato, se uictrix impudica superiaceret. Quid ageret miles Christi, & quò se uerteret nesciebat. Quem tormenta non uicerant, superabat uoluptas. Tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit.

Per idē ergo tēpus, quo talia gerebātur apud inferiorem Thebaidam, cum sorore iam uiro tradita, post mortem amborū parentum in hæreditate locupleti, Paulus relictus est annorum circiter

Tormenti geng! duus eraal

duus Lust

quindecim, literis tã Græcis quàm Aegyptiacis apprime eruditus, mansueti animi, deum ualde amans. Et cum persecutionis procella detonaret in uillam remotiorem & secretiorem secessit. Verum quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Sororis maritus cœpit prodere uelle, quẽ celare debuerat. Non illum uxoris lachrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus, ab scelere reuocauit. Ad hæc instabat crudelitas quæ pietatẽ uidebatur imitari. Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad mõtiũ deserta cõfugiens, dum persecutionis finẽ præstolaretur, necessitatem in uoluntatem uertit, ac paulatim progrediens, rursusq; subsistens, atq; hoc idem sæpius faciens, tandem repperit saxeũ montem, ad cuius radicem haud procul erat grãdis spelũca, quæ lapide claudebatur. Quo remoto (ut est cupiditas hominum occulta cognoscere) auidius explorans, animaduertit intus grande uestibulum, quod aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis uetus palma contexerat, fontẽ lucidissimum ostendens, cuius riuum tantummodo foras erumpentem, statim modico foramine, eadẽ quæ genuerat aquas terra sorbebat. Erant præterea per exesum montẽ haud pauca habitacula, in quibus

bus scabræ iam incudes & mallei, quibus pecuniæ olim signatæ uisebantur. Hunc locum Aegyptiorum literæ ferunt furtiuæ monetæ officinam fuisse, ea tempestate, qua Cleopatræ iunctus est Antonius. Igitur adamato (quasi quod à deo sibi offerretur) habitaculo, omnem ibidem in orationibus & solitudine duxit ætatem. Cibum & uestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui impossibile uideatur, Iesum testor & sanctos angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iũgitur, uidisse me monachos, de quibus unus per triginta annos clausus hordeaceo pane & lutulenta aqua uixit. Alter in cisterna ueteri (quam gentili sermone Syri cubam uocãt) quinque carycis per singulos dies sustentabatur. Hæc igitur incredibilia esse uidebuntur his, qui non crediderint, quia omnia poßibilia sunt credentibus. Sed ut ad id redeam, unde digressus sum, cum iam centũ tredecim annos beatus Paulus uitam cœlestem ageret in terris, & nonagenarius in alia solitudine Antonius moraretur (ut ipse asserere solebat): hæc in mentem eius cogitatio incidit, nullũ ultra se perfectum monachũ in eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti reuelatum est, esse alium ulterius multò se meliorem, ad quem uisen

XB

Dattalus

Exempla [illegible]

113 annos vixit

dum deberet proficisci. Ilicò erumpente lucè, uenerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentãs, cœpit ire uelle quò nesciebat. Et iã media dies coquente desuper sole feruebat, nec tamen à cœpto itinere abducebatur, dicẽs: Credo in deũ meum, quia quod mihi seruo suo promisit, ostendet. Nec plura his, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poetarum hippocẽtauro uocabulum indidit. Quo uiso, salutaris impreßiõe signi, armat frontem. Et heus tu, inquit, quanam in parte hic seruus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens, & frangens potius uerba quàm proloquens, inter horrentia ora, senis blandum quæsiuit eloquium. Et dexteræ protensione manus, cupitum indicat iter: & sic patentes campos uolucri transmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verum hæc utrum diabolus ad terrẽdum eũ simulauerit, an (ut solet) eremus monstruosorũ animalium ferax istam quoq; gignat bestiam, incertũ habemus. Stupens itaq; Antonius, & de eo quod uiderat secũ uoluẽs, ulterius progreditur. Nec mora, inter saxosam cõuallẽ haud grandẽ homũculũ uidet, adũcis naribus, frõte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis ĩ caprarũ pedes desinebat. Infractusq; et hoc Antonius spectaculo,

culo, scutũ fidei et loricã spei, ut bonus prӕliator arripuit. Nihilominus memoratũ aĩal palmarum fructus eidẽ ad uiaticũ quasi pacis obsides affere bat. Quo cognito, gradũ pressit Antonius, et quis nã esset interrogãs, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, et unus ex accolis eremi, quos uario delusa errore gẽtilitas, Faunos satyrosq; et incubos uocãs colit. Legatiõe fungor gregis mei. Precamur ut pro nobis coẽm deũ depreceris, quẽ pro salutem mũdi uenisse cognouimus, et ĩ uniuersã terrã exijt sonus eius. Talia eo loquẽte lõgӕuus uiator ubertim faciẽ lachrymis rigabat, quas mag nitudo lӕticiӕ, indices cordis effuderat. Gaude- bat quippe de Christi gloria, et de ĩteritu Satanӕ. Simulq; admirãs q eius posset ĩtelligere sermonẽ, et baculo humũ pcutiẽs aiebat: uӕ tibi Alexãdria q̃ pro deo portẽta ueneraris, uӕ tibi ciuitas mere trix, ĩ quã totius orbis dӕmonia cõfluxere. Quid nũc dictura es? bestiӕ Christũ loquũtur, et tu pro deo portẽta uenerarıs. Nec dũ uerba cõpleuerat, et quasi pẽnigero uolatu, petulcũ animal aufugit. Hoc ne cuiquã ob ĩcredulitatẽ scrupulũ moueat, sub rege Cõstantino uniuerso mũdo teste defendi tur. Nã Alexãdriã istiusmodi hõ uiuus pductus, magnũ populo spectaculũ prӕbuit: et postea cada

Satyri confessio

Nor fr... ...

uer exanime, ne calore æstatis dißiparetur, sale infusum, Antiochiam ut ab imperatore uideretur, allatum est. Sed ut propositum persequar, Antonius cœptam regionem pergebat, ferarum tantum uestigia intuens, & eremi latam uastitatem. Quid ageret, quò uerteret gradū nesciebat. Iam altera effluxerat dies. Restabat unū ut deseri se à Christo non posse consideret. Pernox secundas in oratione exegit tenebras, & dubia adhuc luce, procul intuetur lupā sitis ardoribus anhelantē, ad radicem montis irrepere. Quam secutus oculis, & iuxta speluncam cum fera abijsset accedēs, intro cœpit aspicere, nihil curiositate proficiente, tenebris arcentibus uisum. Verum (ut scriptura ait) perfecta dilectio foras mittit timorem: suspenso gradu & anhelitu temperato, callidus explorator ingressus, ac paulatim progrediens, sæpiusq; subsistens, sonum aure captabat. Tandem per cæcæ noctis horrorē procul lumen intuitus, dum auidius properat, offenso in lapidem pede strepitum concitauit. Post cuius sonitum beatus Paulus ostium quod patebat occludens sera obfirmauit. Tunc uerò Antonius præ foribus corruēs, usque ad sextam, & eo amplius horam aditum precabatur, dicens: Qui sim, unde, cur, uenerim

nosti.

nosti. Scio me non mereri conspectum tuum, tamen nisi uidero nõ recedam. Qui bestias recipis, hominem cur repellis? Quæsiui & inueni: pulso ut aperiatur. Quòd si non impetro, hic moriar ante postes tuos, certe sepelies, uel meũ cadauer.

Talia perstabat memorans, fixusq; manebat.

Ad quem respõsum paucis ita reddidit heros.

Nemo sic petit ut minetur, nemo cum lachrymis iniuriam uel calumniam facit. Et miraris si non recipiam, cũ moriturus adueneris. Sic arridẽs Paulus patefecit ingressum. Quo aperto, dum in mutuos miscentur amplexus, proprijs se salutauere nominibus: gratiæ domino in commune referuntur. Et post sanctum osculum residens Paulus, cũ Antonio ita exorsus est: En quem tanto labore quæsisti, putridis senectute mẽbris operit inculta canicies. En uides hominem puluerem mox futurũ. Verũ quia charitas omnia sustẽtat, narra mihi quæso quõ se habeat humanũ genus. An in antiqs urbibus noua tecta cõsurgãt: quo mũdus regatur imperio, an supersint aliqui, q dæmonũ errore rapiãtur. Inter has sermocinatiões, suspiciunt alitẽ coruum in ramo arboris consedisse, qui inde leniter subuolabat, & integrum panem ante ora mirantiũ deposuit. Post cuius abscessum: Eia, inquit,

arg

Paulus: dominus nobis prandium misit, uerè pius, uerè misericors. Sexaginta iam anni sunt, q accipio dimidij semper panis fragmentum, uerũ ad aduẽtum tuum, militibus suis duplicauit annonam. Igitur domino gratiarum actiõe celebrata, super uitrei marginem fontis uterq; consedit. Hic uerò quis frãgeret panẽ oborta cõtẽtio, penè diẽ duxit in uesperũ. Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure refellebat ætatis. Tandem consiliũ fuit apprehenso è regione pane, dũ ad se quisq; nititur, pars cuique sua remaneret in manibus. Dehinc paululũ aquæ in fonte prono ore libauerũt, immolantes deo sacrificium laudis, noctem transegere uigilijs. Cumq; iam esset terræ redditus dies, beatus Paulus ad Antonium sic locutus est. Olim te frater in istis regiõibus habitare sciebã, olim te conseruũ meũ mihi promiserat deus. Sed quia iam dormitionis tẽpus aduenit, et quod semper cupiebã, dissolui et esse cũ Christo, pacto cursu supest mihi corona iusticiæ: tu missus es à domino, qui humo corpusculũ meũ tegas, imo terræ terrã reddas. His Antonius auditis, flẽs et gemẽs ne se desereret, atq; ut comitẽ talis itineris acciperet precabatur. Et ille. Non debes, inquit, quærere quæ tua sunt, sed quæ aliena. Expedit tibi sarcina

carnis

carnis abiecta, agnū sequi. Sed et cæteris expedit fratribus, ut tuo adhuc instituantur exēplo. Quā obrē quæso perge nisi molestū est, et palliū quod tibi Athanasius Episcopus dedit, ad inuoluendū corpusculū meū defer. Hoc aūt beatus Paulus ro gauit, nō q̄ magnopere curaret utrū tectū putres ceret cadauer, an nudū (quippe qui tāto tēporis spatio, cōtextis palmarum folijs uestiebatur) sed ut à se recedenti, mœror suæ mortis leuaretur. Stupefactus ergo Antonius, quod de Athanasio & pallio eius audierat, quasi Christum in Paulo uidens, & in pectore eius deum uenerans, ultra respondere nihil ausus est, sed cum silentio lachry mās, osculatis eius oculis manibusq́;, ad monaste riū, quod postea à Saracenis occupatū est regre diebatur. Neq; uero gressus sequebātur aīm. Sed quāuis corpus inane ieiunijs, seniles etiā anni fre gerāt, tamē aīo uincebat ætatē. Tādē fatigatus et anhelus ad habitaculum suum cōfecto itinere per uenit. Cui cum duo discipuli qui ei lōgo iam tēpo re ministrare consueuerāt, occurrissent dicentes: Vbi tādiu moratus es pater? Respōdit: Væ mihi peccatori, qui falsi monachi nomen fero. Vidi Heli am, uidi Ioannē in deserto, et uerè uidi Paulum in Paradiso. Et sic ore compresso, manu uerberans

pectus ex cellula pallium protulit. Rogantibusq́; discipulis, ut plenius quid nam rei esset exponeret ait: Tempus tacendi, et tempus loquẽdi. Tũc egressus foras, et ne modicum quidem cibi sumẽs, per uiam qua uenerat regressus est, illum sitiens, illum uidere desyderans, illum oculis ac mente contemplans. Timebat enim quod euenit, ne se absente Christo debitum spiritum redderet. Cumq́; iam dies alia illuxisset, & trium horarum spacio uiam remeauisset, uidit inter angelorum choros, inter Prophetarum & Apostolorum populos, niueo candore Paulum fulgentem in sublime conscẽdere. Et statim in faciem suam procidens, sabulũ capiti superiaciebat, ploransq́; et eiulans aiebat: Cur me Paule dimittis? cur insalutatus abis? Tam tarde notus, tam cito recedis? Referebat postea beatus Antonius tãta se uelocitate, quod reliquũ erat uiæ cucurrisse, ut ĩstar auis peruolasset. Nec immerito. Nam introgressus speluncam, uidit genubus complicatis, erecta ceruice, extensisq́; in altum manibus, corpus exanime. Ac primum & ipse uiuere eũ credens pariter orabat. Postquàm uerò nulla (ut solebat) suspiria precantis audiuit, in flebile osculũ ruens, intellexit quòd etiã cadauer sancti, Deum (cui omnia uiuunt) officiòso ge=

stu

ſtu precabatur. Igitur obuoluto & prolato foras corpore, hymnos quoque & pſalmos de Chriſtiana religione decantans, contriſtabatur Antonius, quòd ſarculum quo terram foderet non haberet, fluctuansq́; uario mentis æſtu, & ſecum multa reputans dicebat: Si ad monaſterium reuertar, tridui iter eſt. Si hic maneam, nihil ultra proficiam. Moriar ergo, ut dignum eſt, iuxta bellatorem tuum Chriſte ruens extremum halitum fundam. Talia eo animo uoluēte, ecce duo leones ex interioris eremi parte currentes, uolantibus per colla iubis, ferebantur. Quibus aſpectis exhorruit. Rurſusq́; ad deum referens mentem, quaſi columbas uideret, manſit intrepidus. Et illi quidem directo curſu ad cadauer beati ſenis ſubſtiterunt, adulātibusq́; caudis circa eius pedes accubuere, fremitu ingenti rugientes, prorſus ut intelligeret eos plangere, quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus ſcalpere, arenamq́; certatim egerentes, unius hominis capacē locum foderunt. Ac ſtatim quaſi mercedem pro opere poſtulantes, cum motu aurium ceruice reiecta, ad Antoniū perrexerunt, manus eius pedesq́; lingentes. At ille animaduertit benedictionem eos à ſe precari. Nec mora in laudationem Chri-

Fabula

[illegible]

sti effusus, q muta quoq; animalia deum esse sentirent, ait: Domine sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec unus passerum ad terram cadit, da illis sicut tu scis. Et manu annuens eis, ut abirent imperauit. Cumq; illi recessissent, sancti corporis onere, seniles curuauit humeros. Et deposito eo in fossam, desuper humum congregans, tumulum ex more composuit.

Postquam autem alia dies illuxit, ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi uendicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs ipse sibi contexuerat. Ac sic ad monasterium reuersus, discipulis cuncta ex ordine replicauit, diebusq; solennibus Pascæ & Pentecostes semper Pauli tunica uestitus est.

Libet in fine opusculi eos interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domus marmoribus uestiunt, qui uno filo uillarum insuunt prædia, huic seni nudo quid unquã defuit? Vos gẽma bibitis, ille naturæ concauis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne uilissimũ quidem indumentum habuit mãcipij uestri. Sed econtrario illi quidem pauperculo paradisus patet, uos auratos gehenna suscipiet. Ille uestem Christi nudus licet, tamen seruauit, uos uestiti is sericis indumentum Christi perdidistis. Paulus uilissimo puluere

Sanbe Nn ed

re coopertus iacet resurrecturus ĩ gloriã: uos operosa saxi sepulchra premũt cũ uestris opibus arsuros. Parcite quæso uobis, parcite saltem diuitijs, quas amatis. Cur et mortuos uestros auratis obuoluitis uestibus? Cur ambitio inter luctus lachrymasq́; nõ cessat? An cadauera diuitũ, nisi in serico putrescere nesciũt? Obsecro quicũq́; hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris, cui si dominus optionẽ daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cũ fide eius, quàm regũ purpurã cũ poenis suis.

Contra luxu in funerib.

VITA SANCTI HIlarionis.



CRIPTVRVS uitã beati Hilarionis, habitatorẽ eius inuoco spiritũ sanctũ, ut qui illi uirtutes largitus est, mihi ad narrãdas eas sermonẽ tribuat, ut facta dictis exæquẽtur. Eorũ enĩ q fecere uirtutes (ut ait Crispus) tãta habẽtur merita, quãtũ ea uerbis potuere attollere præclara ĩgenia. Alexãder magnus Macedo quẽ uel arietẽ, uel pardũ, uel hircũ caprarũ Daniel uocat, cũ ad Achillis tumulũ peruenisset, felicẽ te (ait) iuuenis, qui magno fruaris præcone me

Inuocão in festo Sancti cũ usurpanda

ritorum: Homerũ uidelicet significãs. Porrò mihi tanti ac talis uiri conuersatio uitaq́; dicenda est, ut Homerus quoq́; si adesset, uel inuideret materiæ, uel succumberet. Quanquàm enim sanctus Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, qui cũ Hilarione plurimum uersatus est, laudem eius breui epistola scripserit, quæ uulgo legitur, tamẽ aliud est locis communibus laudare defunctum, aliud defuncti proprias narrare uirtutes. Vnde & nos fauore magis illius quàm iniuria, cœptũ ab eo opus aggredientes, maledicorum uoces cõtemnimus, qui olim detrahentes Paulo meo, nunc forte detrahent & Hilarioni, illũ solitudinis calũniati, huic obijcientes frequentiam, ut qui semper latuit, non fuisse, qui à multis uisus est, uilis existimetur. Fecerunt hoc & maiores eorum quondã Pharisæi, quibus nec Ioannis eremus ac ieiuniũ, nec Domini saluatoris turbæ, cibi, potusq́; placuere. Verum destinato operi imponam manum, & Scyllæos canes obturata aure transibo.

Hilarion ortus uico Thabatha, qui circiter quinq; milia à Gaza urbe Palæstinæ ad austrum situs est, cum haberet parentes idolis deditos, rosa (ut dicitur) de spinis floruit. A quibus missus Alexandriã, grammatico traditus est, ibiq; quantum

tum illa patiebatur ætas, magna ingenij & morum documenta præbuit: in breui charus omnibus, & loquendi arte gnarus. Quódq; his maius est omnibus, credens in dominum Iesum, non Circi furoribus, non arenæ sanguine, non theatri luxuria delectabatur, sed tota illi uoluntas in Ecclesiæ erat congregatione.

Audiēs autē tunc celebre nomē Antonij, quod per omnes Aegypti populos ferebatur, incensus uisendi eius studio, perrexit ad eremum. Et statim ut eum uidit, mutato pristino habitu, duobus ferè mensibus iuxta eum mansit, contemplans ordinē uitæ eius morūq; grauitatē. Quàm creber in oratione, quàm humilis in suscipiendis fratribus, seuerus in corripiendis, alacer in exhortandis esset, et ut continentiam cibiq; eius asperitatem, nulla unquam infirmitas frangeret. Porrò frequentiam eorum, qui ad eū ob uarias paßiones aut impetus dæmonum concurrebant, ultra nō ferens, nec congruum esse ducens, pati in eremo populos ciuitatum, sicq; sibi magis incipiendum esse, ut cœpisset Antonius: illum quasi uirum fortem uictoriæ præmia accipere, se necdū militare cœpisse. Reuersus est cum quibusdam monachis ad patriam, & parentibus iam defunctis, partē substantiæ fratribus, par-

tem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino reseruans, & timens illud de actibus apostolorum, Ananiæ & Sapphiræ, uel exemplū uel suppliciū, maximeq́; dominici memor dicentis: Qui non renūciauerit omnibus quæ habet, non potest meus eße discipulus (erat autē tūc annorū quindecim): sic nudus & armatus in Christo, solitudinem quæ in septimo miliario à Maionia Gazæ emporio per littus euntibus Aegyptum ad leuam flectitur, ingressus est. Cumq́; essent cruenta latrocinijs loca, & propinqui amicique eius imminens periculum denunciarent, contempsit mortem ut mortem euaderet. Mirabantur omnes animum, mirabantur ætatem, nisi quòd flamma quædam pectoris & scintillæ fidei in oculis relucebant. Lenes erant genæ, delicatū corpus & tenue, & ad oēm iniuriam impatiēs, quod leui uel frigore uel æstu posset affligi.

Igitur sacco tantum membra coopertus, & pelliceū habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagūq́; rusticū, inter mare & paludē, uasta & terribili solitudine fruebatur: quindecim tātū carycas post solis occasum comedens. Et quia regio latrocinijs infamis erat, nūquā in eodem loco mansitans. Quid faceret diabolus? quò se uerteret? Qui gloriabatur antè dicēs:

In cœlum

In cœlum aſcendam, ſuper ſydera cœli ponã thronum meũ, & ero ſimilis altißimo, cernebat ſe uinci à puero, & prius ab eo calcatũ fuiſſe, quàm per ætatẽ calcare potuißet. Titillabat itaq; ſenſus eius et pubeſcenti corpori, ſolita uoluptatũ incẽdia ſuggerebat. Cogebatur tyrunculus Chriſti cogitare quod neſciebat, & eius rei animo pompã uoluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaq; ſibi, & pectus pugnis uerberans, quaſi cogitatiões cæde manus poſſet excludere: Ego, inquit, aſelle faciam, ut nõ calcitres, nec te hordeo alam ſed paleis. Fame te conficiã & ſiti, graui onerabo pondere, per æſtus indagabo et frigora, ut cibũ potius quã laſciuiam cogites. Herbarum ergo ſucco & paucis carycis, poſt triduũ uel quadriduũ deficientẽ animam ſuſtentabat: orãs frequenter & pſallens, et raſtro humum fodiẽs, ut ieiuniorũ laborẽ labor operis duplicaret: Simulq; fiſcellas iunco texẽs, æmulabatur Aegyptiorũ monachorũ diſciplinã, et apoſtoli ſententiã dicẽtis: Qui autẽ nõ operatur, non manducet. Sic attenuatus, et intantum exeſo corpore, ut oßibus uix hæreret.

Quadã nocte cœpit infantum audire uagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quaſi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus,

& rursus uariarum portenta uocum, ut ante soni tu quàm aspectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria, & prouolutus genubus Christi, crucem signauit in fronte, taliq; armatus caßide, & lorica fidei circumdatus, iacens fortius præliabatur, amodo uidere desyderans, quos horrebat audire, et sollicitis oculis huc illucq; circumspiciens. Cum interim ex improuiso, splēdente luna, cernit rhedam feruentibus equis super se irruere. Cunq; inclamasset Iesum, ante oculos eius repentino terræ hiatu pompa omnis absorpta est. Tunc ille ait: Equum & ascensorē proiecit in mare. Et, hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri magnificabimur.

Multæ sunt tentationes eius, et die noctuq; uariæ dæmonum insidiæ, quas si omnes narrare uelim, modum excedam uoluminis. Quoties illi nudæ mulieres cubanti, quoties esurienti largißimæ apparuere dapes? Interdū orantem lupus ululans & uulpecula ganniens transiliuit, psallentiq; gladiatorum pugna spectaculū præbuit, & unus quasi interfectus, & ante pedes eius corruens, sepulturā rogauit. Orauit semel fixo in terram capite, & ut natura fert hominum, abducta ab oratione mēs, nescio quid aliud cogitabat, insilijt dorso eius festinus

N3.

tentaões

festinus gladiator, & latera calcibus, ceruicem flagello uerberans: Eia, inquit, cur dormitas? cachinnansq; desuper, cum defecisset, an hordeum uellet accipere, sciscitabitur.

Igitur à sextodecimo usq; ad uicesimũ suæ ætatis annum, æstus & pluuias breui tuguriunculo declinauit, quod iunco & caryce texerat. Extructa deinceps breui cellula, quæ usq; hodie permanet, latitudine pedũ quatuor, altitudine pedũ quinq;, hoc est statura sua humiliore. Porrò longitudine paulo ampliore, quàm eius corpusculum patiebatur, ut sepulchrum potius quàm domũ crederes: capillum semel in anno die Pascæ totondit. Super nudam humum stratumq; iunceum, usq; ad mortem cubitauit. Saccum quo semel fuerat indutus, nunquam lauans, & superfluum eße dicens, mundicias in cilicio quærere. Nec mutauit alteram tunicam, nisi cũ prior penitus scissa esset. Scripturas quoq; sanctas memoriter tenens, post orationes & psalmos quasi deo præsente recitabat. Et quia longum est per diuersa tempora carptim ascensum eius edicere, comprehendam breuiter, ante lectoris oculos uitam eius pariter exponens, & deinceps ad narrandi ordinem regrediar.

Vicesimo primo anno usq; ad uicesimum septi

mum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit, et alijs tribus, panem aridum cum sale & aqua. Porro à uigesimo septimo usq; ad tricesimum, herbis agrestibus, & uirgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo usq; ad tricesimum quintum, sex uncias hordeacei panis, & coctum modice holus, absq; oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligare oculos suos, & totũ corpus impetigine, & pumicea quadam scabredine contrahi, ad superiorem uictũ adiecit oleum, & usq; ad sexagesimum tercium uitæ suæ annum, hoc cõtinentiæ cucurrit gradu, nihil extrinsecus, aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustãs. Inde cum se uideret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à sexagesimo quarto anno, usq; ad octogesimum, pane abstinuit, incredibili feruore mentis, ut eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem Domini, quo cæteri solent remißius uiuere. Fiebant autem ei de farina & comminuto holere sorbitiũculæ, cibo & potu uix quinq; uncias appendentibus. Sicq; complens ordinem uitæ, nunquàm ante solis occasum, nec in diebus festis nec in grauißima ualetudine soluit ieiuniũ. Sed iã tempus est, ut ad ordinẽ reuertamur.

Cum

Cum habitaret adhuc in tuguriunculo, annos natus decem & octo, latrones ad eum nocte uene runt, uel existimãtes habere aliquid quod tollerẽt, uel in contemptum sui reputantes fieri, si puer soli tarius eorũ impetus non pertimesceret. Itaq; inter mare & paludem, à uespere usq; ad solis ortum discurrentes, nunquàm locum eius cubiculi inuenire potuerunt. Porrò clara luce reperto puero, quasi per iocum, quid, inquiunt, faceres, si latrones ad te uenirent? Quibus ille respondit: Nudus latrones non timet. Et illi, certe aiunt occidi potes. Possum, inquit, possum. Et ideo latrones nõ timeo, quia mori paratus sum. Tunc admirati constantiam eius & fidem, confeßi sunt noctis errorẽ cæcatosq; oculos, correctiorem deinceps uitam pollicentes.

nudus latrones n timet

Viginti & duos iam in solitudine habebat annos: Fama tantum notus omnibus, & per totas Palæstinæ uulgatus urbes, cum interim mulier quædam Eleutheropolitana cernens despectui se haberi à uiro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad beatum Hilarionem, & nihil tale suspicanti, repente genubus eius aduoluta: Ignosce (inquit) audaciæ,

ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? Noli mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit saluatorem. Non habēt sani opus medico, sed qui malehabent. Tandem substitit & post tantum temporis uisa muliere, interrogauit causam aduentus eius ac fletuum. Et postquā didicit: Leuatis ad cœlū oculis, fidere iussit, euntēq; lachrymis prosecutus, exacto anno uidit cū filio.

Hoc signorum eius principium, maius aliud signum nobilitauit. Aristæneta, Helpidij qui postea præfectus prætorio fuit uxor, ualde nobilis inter suos, & inter Christianos nobilior, reuertens cū marito & tribus liberis à beato Antonio, Gazæ propter eorum infirmitatē remorata est. Ibi enim siue ob corruptum aërem, siue (ut postea claruit) propter gloriam Hilarionis serui Dei, hemitritæo pariter arrepti, omnes à medicis desperati sunt. Iacebat ululans mater, et quasi inter tria filiorū discurrēs cadauera, quē prius plangeret nesciebat. Cognito autem quòd esset quidam monachus in uicina solitudine, oblita matronalis pompæ, tantum se matrem nouerat, uadit comitata ancillulis & eunuchis. Vixq; à uiro persuasum est, ut asello sedēs pergeret. Ad quem cum peruenisset: per ego te, (ait) Iesum clementissimū Deum nostrum, obtestor

per crucem

per crucem & sanguinem, ut reddas mihi tres filios, & glorificetur in urbe gentilium nomen domini saluatoris, et ingrediatur seruus eius Gazā et Marnas corruat. Renuente illo & dicente nunquā se egressurum de cella, nec habere consuetudinem, ut non modo ciuitatem, sed ne uillulam quidem ingrederetur, prostrauit se humi crebro clamitans: Hilarion serue Christi, redde mihi liberos meos. Quos Antonius tenuit in Aegypto, à te seruentur in Syria. Flebant cuncti qui aderant, sed & ipse negans flebat. Quid multa? nō prius mulier recessit, quàm ille pollicitus est se post solis occasum Gazā introiturum. Quò postquam uenit, singulorum lectulos & arentia membra consyderans inuocauit Iesum, & ò mira uirtus, quasi de tribus fontibus sudor pariter erupit: Eadem hora acceperunt cibos, lugentemq; matrem cognoscentes & benedicentes Deū, sancti manus deosculati sunt. Quod postquàm auditum est, & longe lateq; percrebuit, certatim ad eum de Syria et Aegypto confluebāt: ita ut multi crederēt in Christum, & se monachos profiterentur. Necdum enim tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachum ante sanctum Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in

hac prouincia fuit. Habebat dominus Iesus in Aegypto senem Antonium, habebat in Palæstina Hilarionem iuniorem.

Facidia uicus est Rhinocuraræ urbis Aegypti. De hoc (sunt decem iam anni) cæca mulier adducta est ad beatum Hilarionem, oblatáq; ei à fratribus (iam enim multi cum eo monachi erant) omnẽ se substantiam expẽdisse ait in medicos. Cui respõdit. Si quæ in medicis perdidisti dedisses pauperibus, curasset te uerus medicus Iesus. Clamante autem illa & misericordiam deprecante, expuit in oculos eius, statímq; saluatoris exemplum uirtus eadem prosecuta est.

Cæca visũ recepit

Auriga quoq; Gazensis in curru percussus à dæmone, totus obriguit, ita ut nec manum agitare nec ceruicem posset reflectere. Delatus ergo in lecto, cum solam linguam moueret ad preces, audit non prius posse sanari quàm crederet in Iesum, et se sponderet arti pristinæ renunciaturum. Credidit, spopondit, sanatus est, magisq; de animæ quã de corporis salute exultauit.

Præterea fortißimus iuuenis nomine Marsitas de territorio Hierosolymæ, tantũ sibi applaudebat in uiribus, ut quindecim frumẽti modios diu longeq; portaret, & hanc haberet palmam fortitudinis

Exemplum fortitudinis

15 sixt trag[illegible]

tudinis suæ, si asinos uinceret. Hic afflictus pessimo dæmone, nõ catenas, non cõpedes, nõ claustra ostiorum integra patiebatur, multorũ nasum & aures morsibus amputauerat. Horũ pedes, illorũ gulam fregerat. Tantumq; terrorẽ omnibus incusserat, ut oneratus catenis & funibus in diuersa nitẽtium, quasi ferocissimus taurus ad monasteriũ pertraheretur, quem postq̃ fratres uidere perterriti (erat .n. miræ magnitudinis) nũciauerũt patri. Ille sicut sedebat, iussit eũ ad se ptrahi & dimitti. Solutoq;, inclina (ait) caput & ueni. Tremere ille, et ceruicẽ flectere, nec aspicere cõtra ausus, omniq; ferocitate deposita, pedes cœpit sedẽtis lambere. Adiuratus itaq; dæmon et tortus qui iuuenẽ posse derat, septima die egressus est.

Sed nec illud tacẽdũ est, quod Orionus uir primarius et ditissimus urbis Ailæ, quæ mari rubro imminet, à legiõe possessus dæmonũ, ad eũ adductus est. Manus, ceruix, latera, pedes ferro onerati erãt, furorisq; sæuiciã, torui oculi minabantur. Cũq; deambularet sanctus cũ fratribus, et de scripturis nescio quid interpretaretur, erupit ille de manibus se tenentiũ, et amplexus eũ post tergũ, in sublime leuauit. Clamor ortus ab omnibus. Timebãt enim ne confecta ieiunijs membra collideret.

obsessus

[illegible]

obsessus [illegible]

Et sanctus arridens: sinite, inquit, & mihi meum palæstritam dimittite. Ac sic reflexa super humeros manu, caput eius tetigit, apprehensóq; crine ante pedes adduxit, stringens è regione ambas manus eius, & plantas utroq; calcans pede, simulq; ingeminans, torquere dæmonum turba. Cunq; ille eiularet, & reflexa ceruice terram uertice tangeret: Domine, inquit, Iesu solue miserum, solue captiuum. Vt unum, ita et plures uincere tuum est. Rē loquor inauditam: Ex uno hominis ore diuersæ uoces, & quasi confusus populi clamor audiebatur. Curatus itaq; & hic, non post multum temporis, cum uxore & liberis uenit ad monasterium, plurima, quasi gratiam redditurus, dona afferens. Cui sanctus. Non legisti (inquit) quid Giezi, quid Simon paßi sint, quorū alter accepit preciumalter obtulit: ut ille uenderet gratiam spiritus sancti hic mercaretur? Cunq; Orionus flens diceret, accipe & da pauperibus, Respōdit. Tu melius potes tua distribuere qui per urbes ambulas, et nosti pauperes. EGO QVI MEA RELIQVI, cur aliena appetam? Multis nomē pauperū occasio auariciæ est. Misericordia uero artē nō habet. Nemo melius erogat, quàm qui sibi nihil reseruat. Tristi autem & in terra iacēti, noli, inquit, cōtristari fili: Quod

facio

facio pro me & pro te facio: Si enim hæc accepe ro, et ego offendã Deũ, & ad te legio reuertetur.
Quis uero poßit silẽtio præterire, q̃ Gazanus Maramites, haud longe à monasterio eius lapides ad ædificandum de ora maris cudens, totus paralysi dissolutus, & ab operis socijs delatus ad sanctum, statim ad opus reuersus est? Etenim littus quod Palæstinæ Aegyptoq; prætenditur, per naturam molle, arenis in saxa durescentibus asperatur. Paulatimq; cohærescens sibi glarea, perdit tactũ, cum non perdat aspectum.
Sed et Italicus eiusdem oppidi municeps Christianus aduersum Gazensem duumuirum, Marnæ idolo deditum, Circenses equos nutriebat (hoc siquidem in Romanis urbibus iam inde seruatur à Romulo) ut propter felicem Sabinarum raptũ, ab ipso quasi consiliorum deo, quadrigæ septeno currant circũitu, & equos partis aduersæ fregisse uictoria sit. Hic itaq; æmulo suo habente maleficũ, qui dæmoniacis quibusdam imprecatiõibus huius impediret equos, & illius incitaret ad cursum, uenit ad beatum Hilarionem, & non tam aduersariũ lædi, quàm se defendi obsecrauit. Ineptũ uisum est uenerando seni in huiuscemodi nugis orationem perdere. Cumq; subrideret & diceret: Cur enim

Circenses ludi

non magis equorũ precium, pro salute animæ tuæ pauperibus erogas? Ille respondit functionem esse publicam, & hoc non tam se uelle, quàm cogi: nec posse hominem Christianum uti magicis artibus, sed à seruo Christi potius auxilium petere, maxime contra Gazenses aduersarios Dei, & non tam sibi quàm Ecclesiæ Christi insultantes. Rogatus ergo à fratribus qui aderant, scyphum fictilem quo bibere consueuerat, aqua iußit impleri, eiq; tradi. Quem cũ accepisset Italicus, et stabulũ & equos & aurigas suos, rhedum, carcerumq; repagula asperſit. Mira uulgi expectatio. Nã & aduersarius hoc ipsum irridens diffamauerat, & fautores Italici sibi certam uictoriam pollicentes exultabant. Igitur dato signo hi aduolant, isti præpediuntur: Sub horum curru rotæ feruent, illi præteruolantium terga uix cernunt. Clamor fit uulgi nimius, ita ut ethnici quoq; ipsi concreparent, Marnas uictus à Christo est. Porrò furẽtes aduersarii Hilarionẽ maleficum Christianum ad supplicium poscere. Indubitata ergo uictoria, et illis & multis retro Circensibus plurimis fidei occasio fuit.

Eiusdem Gazensis emporij, oppido uirginem Dei uicinus iuuenis deperibat. Qui cum frequenter tactu, iocis, nutibus, sibilis, & cæteris huiusmodi

modi quæ solent moriture uirginitatis esse principia, nihil profecisset, perrexit Memphim, ut confesso uulnere suo, magicis artibus rediret armatus ad uirginem. Igitur post annum doctus ab Aesculapij uatibus non remediantis animas, sed perdentis, uenit præsumptum animo stuprum gestiens, & subter limen domus puellæ, tormenta quædam uerborum, & portensosas figuras sculptas in æris Cyprij lamina defodit. Ilico insanire uirgo, & amictu capitis abiecto rotare crinem, stridere dentibus, inclamare nomen adolescentis. Magnitudo quippe amoris se in furorem uerterat. Perducta ergo à parentibus ad monasterium seni traditur, ululante statim & confitente dæmone, uim sustinui, inuitus abductus sum, quàm bene Memphis somnijs homines deludebam. O cruces, o tormenta, quæ patior. Exire me cogis, & ligatus subter limen teneor. Non exeo, nisi me adolescens qui tenet, dimiserit: Tunc senex, grandis, ait, fortitudo tua, qui licio & lamina strictus teneris. Dic quare ausus es ingredi puellam Dei? Vt seruarem (inquit) eam uirginem. Tu seruares proditor castitatis? Cur non potius in eum, qui te mittebat

Jungfrau & Zauberei

es ingressus? Vt quid, respondit, intrarem in eum, qui habebat collegã meum amoris dæmonẽ? Noluit aũt sanctus antequàm purgaret uirginẽ, uel adolescentem, signa iubere perquiri, ne aut solutis incantationibus recessisse dæmõ uideretur, aut ipse sermoni eius accommodasse fidem, asserens fallaces esse dæmones, & ad simulandũ esse callidos, et magis reddita sanitate increpuit uirginem, cur fecisset talia, per quæ dæmon intrare potuisset.

Non solum autem in Palæstina, & in uicinis urbibus Aegypti uel Syriæ, sed eciam in longinquis prouincijs fama eius percrebuerat. Namq; candidatus Constantij imperatoris rutilus coma, et candore corporis indicãs prouinciam (inter Saxones quippe et Alemanos gens eius non tam lata, quàm ualida, apud historicos Germania, nunc uero Francia uocatur): antiquo, hoc est, ab infantia possessus à dæmone, qui noctibus eum ululare, ingemiscere, fremere dentibus compellebat, secreto ab imperatore euectionem petijt, causam ei simpliciter indicans. Et acceptis ad consularem quoq; Palæstinæ literis, cum ingenti honore & comitatu Gazã deductus est. Qui cum à decurionibus illius loci quæsisset: ubi habitaret Hilarion monachus, territi Gazenses, & putãtes eũ ab Imperatore missum

ad monasteri

ad monasterium adduxerunt, ut & honorem cōmendato exhiberent, & si quid ex præteritis iniurijs in Hilarionem esset offensi, nouo officio deleretur. Deambulabat tunc senex in arenis mollibus, & secum de psalmis nescio quid submurmurabat. Vidensq; tantam turbam uenientem substitit. Et resalutatis omnibus, manuq; eis benedicens, post horam cæteros abire præcepit, illū uero cum seruis suis, & apparitoribus remanere. Ex oculis enim eius et uultu, cur uenisset agnouit. Statim ergo ad interrogationem suspensus homo, uix terram pedibus tangens, & immane rugiēs, Syro quo interrogatus fuerat sermone, respōdit. Videres de ore barbaro, & qui Francam tantum & latinam linguam nouerat, Syra ad purum uerba resonare, ut non stridor, non aspiratio, non idioma aliquod Palæstini deesset eloquij. Confessus est itaq; quo in eum intrasset ordine. Et ut interpretes eius intelligerent, qui Græcam tantum & latinam linguam nouerant, Græce quoq; eum interrogauit. Quo similiter & in uerba eadem respōdente, multasq; incantationum occasiones, & necessitates magicarum artium obtendente: Non curo, ait, quomodo intraueris, sed ut exeas in nomine domini nostri Iesu Christi impero.

Cumq; curatus esset, simplicitate rustica decem auri libras offerens, hordaceum ab eo panem accepit, audiens quod qui tali cibo alerentur, aurū pro luto ducerent.

Parum est de hominibus loqui. Bruta quoque animalia quotidie ad eum furentia pertrahebantur, in quibus Bactrum camelum enormis magnitudinis, qui iam multos obtriuerat, triginta & eo amplius uiri distentum solidißimis funibus cum clamore adduxerunt. Sanguinei erant oculi, spumabat os, uolubilis lingua turgebat, & super omnem terrorem rugitus personabat immanis. Iußit igitur eum dimitti senex. Statim uero & qui adduxerant, & qui cum sene erant, usque ad unum omnes defugere. Porrò ille solus perrexit obuiam & sermone Syro, non me (inquit) terres diabole tanta mole corporis. Et i uulpecula & in camelo unus atque idem es. E interim porrecta stabat manu. Ad quem du furens, & quasi deuoratura eum belua peruenisset, statim corruit, submissumque caput terræ coæquauit, mirantibus cunctis qui aderant, post tantam ferociam, tantam subito mansuetudinem. Docebat autem senex, hominum causa diabolum etiam iumenta corripere, & tanto eorum

Dæmon

N3

rum

rum ardere odio, ut non ſolum ipſos, ſed & ea quæ ipſorum eſſent, cuperet interire. Huiusq; rei proponebat exemplum, quòd antequam beatum Iob tentare permitteretur, omnem ſubſtantiam eius interfecerit. Nec mouere quempiam debere, quòd Domini iußione, duo milia porcorum à dæmonibus interfecta ſunt. Siquidem eos qui uiderant, non potuiſſe aliter credere exiſſe de homine tantam dæmonum multitudinem, niſi grandis porcorum numerus, & quaſi à multis actus pariter corruiſſet,

Tempus me deficiet, ſi uoluero uniuerſa ſigna quæ ab eo perpetrata ſunt dicere. In tantam enim à domino fuerat eleuatus gloriam, ut beatus quoque Antonius audiens conuerſationem eius, ſcriberet ei, libenterq; eius epiſtolas ſumeret. Et ſi quando de Syriæ partibus ad ſe languentes perrexiſſent, diceret eis: Quare uos tam longe uexare uoluiſtis, cum habeatis ibi filium meum Hilarionem? Exemplo itaque eius, per totam Palæſtinam innumerabilia monaſteria eſſe cœperunt, & omnes ad eum monachi certatim currere. Quod ille cernens, laudabat domini gratiam, & pro affectu animi, ſingulos cohortabatur dicens; Præterire figuram huius

mundi. Et illam esse ueram uitam, quæ uitæ præsentis emeretur incommodo.

Volens autem exemplum eis dare & humilitatis & officij, statis diebus ante uindemiam lustrabat cellulas monachorum. Quod postquã cognitum est à fratribus, omnes ad eum confluebãt, & comitati tali duce, circumibãt monasteria, habentes uiaticum suum, quia interdum usq; ad duo milia hominum congregabantur. Sed & procedente tẽpore, unaquæq; uillula, uicinis monachis ad susceptionem sanctorum gaudens, cibos offerebat. Quantum autem fuerit in eo studij, ut nullum fratrem quamuis humilem, quamuis pauperem præteriret, uel illud inditio est, quòd uadens in desertum Cades, ad unum de discipulis suis ui sendum, cum infinito agmine monachorum per uenit Elusam, eo forte die quo anniuersaria sol nitas, omnem oppidi populum in templum V ris congregauerat. Colunt autem illam ob Lu rum, cuius cultui Saracenorum natio dedita e Sed & ipsum oppidum ex magna parte semibar barum est propter loci situm. Igitur audito quò Sanctus Hilarion præteriret (multos enim Saracenorum arreptos à dæmone frequenter curauerat): gregatim ei cum uxoribus & liberis obuiam

em processere, submittentes colla, & uoce Syra Barach, id est, benedic, inclamantes. Quos ille blande humiliterq; suscipiens, obsecrabat, ut deum magis quàm lapides colerent. Simulq; ubertim flebat, cœlum spectans & pollicens si Christo crederent, ad eos se crebro esse uenturum. Mira domini gratia, non prius abire paßi sunt, quàm futuræ Ecclesiæ lineam mitteret, & sacerdos eorũ, ut erat coronatus, Christi signo denotaretur.

Alio quoq; anno cum exiturus esset ad uisenda monasteria, & digereret in schedula, apud quos manere, quos in trãsitu uisitare deberet, scientes monachi quendam de fratribus partiorem, simulq; cupientes uitio eius mederi, rogabant, ut apud eum maneret. Et ille, quid, inquit, uultis & uobis iniuriam, et fratri uexationem facere? Quod postquam frater ille parcus audiuit, & annitentibus cunctis, uix ab inuito impetrauit, ut suum quoq; monasterium in mansionum ordinem poneret. Post diem ergo decimum uenerũt ad eum, custodibus iam in uinea, qua uenirent illi dispositis, qui cum lapidibus et glebarũ iactu, fundæq; uertigine accedentes deterrerent, sine esu uuæ, mane omnes profecti sunt, ridente sene, et dißimulante scire quod euenerat. Porrò suscepti

ab alio monacho, cui Sabas uocabulum est (debẽmus quippe parci tacere uocabulum, largi dicere) :quia dominicus erat dies, inuitabantur ab eo uniuersi in uineam, ut ante horam cibi, uuarum pastu laborem uiæ subleuarent. Et sanctus: Male dictus (ait) qui prius refectionem corporis quàm animæ quæsierit. Oremus, psallamus, reddamus domino officium, & sic ad uineam properabitis. Completo itaq; ministerio, in sublimi stans benedixit uineæ, et suas ad pascendum dimisit oues. Erant aũt qui uescebantur non minus tribus milibus. Cũq; centũ lagenis æstimata fuisset integra adhuc uinea, post dies uiginti trecẽtas fecit. Porrò ille parcus frater multo minus solito colligẽs, etiã id quod habuerat uersum ĩ acetũ sero doluit. Hoc multis fratribus senex ante futurũ dixerat.

Detestabatur autem præcipue monachos, qui infidelitate quadam in futurum reseruarent sua, & diligentiam haberent uel sumptuum, uel uestitus, aut alicuius earum rerum, quæ cum seculo transeunt. Deniq; unum de fratribus in quinto ferè à se miliario manentẽ, quia comperiebat hortuli sui nimis cautum timidumq; custodẽ, et paux illum habere nummorũ, ab oculis abegerat. Quì uolens sibi reconciliari senem, frequenter ueniebat

bat ad fratres, & maximè ad Hesychium, quo ille uehementissime delectabatur. Quadam igitur die ciceris fascem uirentis, sicut in herbis erat, detulit. Quem cum Hesychius posuisset in mensa ad uesperum, exclamauit senex, se putorem eius ferre non posse, simulq; unde esset rogauit. Respondente autem Hesychio, quòd frater quidam primitias agelli sui fratribus detulisset: Non sentis, inquit, putorem teterrimũ, & in cicere fetere auariciam? Mitte bubus, mitte brutis animalibus, & uide an comedant. Quod cum ille iuxta præceptum in præsepe posuisset, exterriti boues, & plus solito mugientes ruptis uinculis in diuersa fugerunt. Habebat enim senex hanc gratiam, ut ex odore corporum uestiumq;, & earum rerum quas quis tetigerat, sciret cui dæmoni, uel cui uitio subiaceret.

Igitur sexagesimo tertio uitæ suæ anno, cernens grande monasterium & multitudinem fratrum secum habitantium, turbasq; eorum qui diuersis languoribus & immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita ut omni genere hominũ solitudo per circũitum repleretur, flebat quotidie, et incredibili desyderio cõuersationis antiquæ recordabatur, Interrogatus à fratribus quid

haberet, cur se conficeret, ait: rursum ad seculū
redij, & recepi mercedem meam in uita mea.
En homines Palæstinæ & uicinæ prouinciæ, exi
stimant me alicuius esse momenti, et ego sub præ
textu monasterij, ad dispēsationem fratrum, uilē
suppellectilem habeo. Seruabatur autem à fratri
bus, maxime ab Hesychio, qui miro amore uene-
rationi senis deditus erat. Cumq; ita uixisset lu-
gens biennium, Aristæneta illa, cuius supra feci-
mus mentionem, præfecti tunc uxor, sed nihil de
præfecti ambitu habens, uenit ad eum, uolens eti
am ad Antonium pergere. Cui ille flens, uellem,
ait, ipse quoq; ire, si non carcere huius monasterij
clausus tenerer, & si eundi fructus esset. Biduum
enim hodie est, quòd totus mundus tali parente
orbatus est. Credidit illa, & substitit. Et post pau
cos dies, ueniente nuncio, Antonij dormitionem
audiuit.

Mirentur alij signa quæ fecit, mirentur inc
dibilem abstinētiam, scientiam, humilitatem, e
nihil ita stupeo, quàm gloriam illum & honore
calcare potuisse. Concurrebant episcopi, presb
teri, clericorum & monachorum greges, matro-
næ quoq; Christianorum grandis tentatio, et hinc
inde ex urbibus & agris uulgus ignobile: sed &
potentes

potentes uiri & iudices, ut benedictum ab eo panem uel oleum acciperent. At ille nihil aliud, nisi solitudinem meditabatur, intantum, ut quadam die proficisci statuerit, & adducto asello (nimis quippe exesus ieiunijs, uix ingredi poterat): iter arripere conaretur. Quod cum percrebuisset, et quasi uastitas & iusticium Palæstinæ indiceretur, plus quàm decem milia hominum diuersæ ætatis & sexus, ad retinendum eum congregata sunt. Immobilis ille ad preces, & baculo arenas discutiens loquebatur: fallacem dominum meum non faciam, non possum uidere subuersas Ecclesias, calcata Christi altaria, filiorum meorum sanguinem. Vniuersi autem qui aderant, intelligebāt reuelatum ei quiddam esse secreti, quod nollet cōfiteri. Et nihilominus custodiebant eum, ne proficisceretur. Decreuit ergo, publica omnes uoce ...ntestans, non cibi se, non potus quicquam sume... nisi dimitteretur. Et post septem dies inediæ, ...dem relaxatus, ac ualedicēs plurimis, cum in...to agmine prosequentium, uenit Betilium, ubi ...suasis turbis, ut reuerterētur, elegit quadra...ta monachos, qui haberent uiaticum, & pos... ...t ieiunantes ingredi, id est, post solis occasum ...um sumere. Quinto igitur die uenit Pelusiū,

uisitatisq; fratribus, qui in uicina eremo erant, & in loco qui dicitur Lychnos, morabantur: perrexit post triduum ad castrum Theubatum, ut uideret Dracontium Episcopum & confessorem, qui ibi exulabat. Quo incredibiliter consolato tanti uiri praesentia, post aliud triduum multo Babylonem labore peruenit, ut uideret Philonē Episcopum & ipsum confessorem. Constantius enim rex, Arianorum fauens haeresi, utrumq; in ea loca deportauerat. Inde egrediens post triduū uenit ad oppidum Aphroditon, ubi conuēto diacono Baisane, qui locatis camelis & dromedis, ob aquae in eremo penuriam, consueuerat euntes ad Antonium ducere. Confessus est fratribus instare diem dormitionis beati Antonij, & peruigilem noctē, in ipso quo defunctus fuerat loco, à se ei debere celebrari. Tribus igitur diebus per uastam & horribilem solitudinem, tādem ad montem altißimum peruenerunt, repertis ibi duobus monachis, Isaac & Pelusiano, quorum Isaac interpres Antonij fuerat. Et quia se praebet occasio, & ad id loci uenimus, dignum uidetur breui sermōe habitaculum tanti uiri describere.

Saxeus et sublimis mons per mille circiter passus, ad radices suas aquas exprimit, quarū alias

habitaculū Antonij

arenae

arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ, paulatim riuum efficiunt, super quem ex utraque ripa palmæ innumerabiles, multum loco & amœnitatis & commodi tribuunt. Videres senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonij discurrere. Hic aiebant psallere, hic orare, hic operari, hic fessus residere solitus erat. Has uites, has arbusculas ipse plantauit. Illam areolam manibus suis ipse composuit. Hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est. Istum sarculum ad fodiendum terram pluribus annis habuit. Iacebat in stratu eius, & quasi calēs adhuc cubile deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis uertice, quasi per cochleam ascendentibus, arduæ ualde, duæ eiusdem mēsuræ cellulæ uisebantur, in quibus uenientium frequentiā, et discipulorum suorū contubernium fugiēs, moratus est. Verū hæ in uiuo excisæ saxo, ostia tantum addita habebant. Postquam autem ad hortulū uenerant: Videtis, inquit, Isaac hoc pomariū arbusculis consitum, & holeribus uirens. Ante hoc fermè triennium cum onagrorum grex uastaret, unum è ductoribus eorum stare iussit, baculoq; tundens

Onager

latera: Quare (inquit) comeditis quod nõ seminastis? Et exinde acceptis aquis, ad quas potandas uentitabant, nunquam eos nec arbusculã, nec holera contigisse. Praeterea rogabat senex, ut sibi locum tumuli eius ostenderent. Qui cum seorsum eum abduxissent, utrum monstrauerint nec ne, ignoratur. Causam occultandi iuxta praeceptum Antonij fuisse referentes, ne Pergamus, qui in illis locis ditißimus erat, sublato ad uillam suam sancti corpore, martyrium fabricaretur.

Igitur reuersus ad Aphroditon, duobus secũ tantum retentis fratribus, in uicina eremo moratus est, tanta abstinentia & silentio, ut tunc primum se cœpisse Christo seruire diceret. Porrò iã triennium erat, quòd clausum cœlum illas terras arefecerat, ut uulgo dicerent: Antonij mortem etiam elementa lugere. Non latuit fama Hilarionis, accolas quoq; illius loci, & certatim uirilis ac muliebris sexus ora luridi & attenuati fame, pluuias à seruo Christi, id est, à beati Antonij successore deprecabantur. Quos ille cernens, mirè doluit. Eleuatisq; in cœlum oculis, & utrasq; in sublime erigens palmas, statim impetrauit quod rogauerant. Ecce autem sitiens arenosaq; regio, postquam pluuijs irrorata est, tantam serpentũ

alter Elias

&,

et uenenatorũ animalium ex improuiso ebulliuit multitudinem, ut percussi innumerabiles, nisi ad Hilarionem concurrissent, statim interirent. Benedicto itaq; oleo, uniuersi agricolæ atq; pastores tangentes uulnera, certam salutem resumebant.

Videns etiã ibi se miris honoribus affici, perrexit Alexandriam, inde ad interiorem Osam eremum transiturus. Et quia nunquam, ex quo cœperat esse monachus, in urbibus manserat, diuertit ad quosdam fratres notos sibi in Brutio, haud procul ab Alexandria, qui cum miro gaudio suscepissent senem, & iam uicina nox esset, repente audiunt discipulos eius asinum sternere, illũq; parare proficisci. Itaq; aduoluti pedibus, rogant ne hoc faceret, & ante limen prostrati, citi mori, quàm tanto carere hospite testabãtur: bus ille respondit: idcirco abire festino, ne uo olestiam generem. Certe ex posterioribus oscetis, non sine causa me subito ambulasse. tur altera die Gazenses cum lictoribus profe, (nam pridie eum uenisse cognouerant), intran monasterium, cum illũ minime inuenissent, inuicem loquebantur: Nonne uera sunt quæ audiuimus? magus est, & futura cognoscit. Vrbs autem

Gaza, postquam profecto de Palæstina Hilarione, Iulianus in imperium successerat, destructo monasterio eius, precibus ad imperatorem datis, & Hilarionis & Hesychij mortem impetrauerat, amboq; ut quærerentur, toto orbe scriptũ erat. Egressus ergo de Brutio, per inuiam solitudinem intrauit Osam, ibiq; anno plus minus exacto, quia illuc quoq; sua fama præuenerat, quasi iam in oriente latere non poßet, ubi multi illum & opinione & uultu nouerant, ad solas nauigare insulas cogitabat, ut quem terra uulgauerat, saltẽ maria celarent.

Eodem fermè tempore Hadrianus discipulus eius de Palæstina superuenit, dicens Iulianum occisum, Christianum imperatorem regnare cœpisse, reuerti eum debere ad monasterij sui reliquias. Quod ille audiens, detestatus est, et conducto camelo per uastam solitudinẽ, peruenit ad maritimam urbem Lybiæ Paretonium, ubi Hadrianus infelix uolens Palæstinam reuerti, & pristinam sub nomine magistri quærens gloriam, multas ei fecit iniurias. Ad extremum, conuasatis quæ à fratribus ei missa detulerat, nesciente illo profectus est. Super hoc qa alter locus referẽdi non est, hoc tantum dixerim in terrorem eorum, quẽ

qui magistros despiciunt, quòd post aliquantulũ temporis computruerit morbo regio.

Habens igitur senex Gazanũ secum, ascendit classem, quæ Siciliam nauigabat. Cumq; uenundato Euangeliorum codice, quẽ manu sua adolescẽs scripserat, dare naulum disponeret, in medio fermè Adriæ, naucleri filius arreptus à dæmone, clamare cœpit & dicere: Hilarion serue dei, cur nobis per te & in pelago tutos esse non licet? Da mihi spatium donec ad terram ueniã, ne hic eiectus præcipiter in abyssum. Cui ille. Si Deus meus (ait) tibi concedit ut maneas, mane. Sin autem ille te eijcit, quid mihi inuidiam facis, homini peccatori atque mendico? Hoc autem dicebat, ne nautæ & negociatores, qui in naui erant, cum ad terram peruenissent, proderent. Nec multò post purgatus est puer, patre fidem dante, & cæteris qui aderant, nulli se super eius nomine locuturos. Ingressus autem Pachynum promontorium Siciliæ, obtulit nauclero Euangelium pro subuectione sua & Gazani. Qui nolens accipere, maximè cum uideret illos, excepto illo codice, & his quibus uestiti erant, amplius nihil habere; ad extre-

mum iurat se non accepturum. Sed & senex accē sus fiducia pauperis conscientiæ, in eo magis læ- tabatur, & quod nihil haberet seculi, & ab ac- colis illius loci mendicus putaretur.

Porrò recogitans ne negociatores de oriente uenientes se notum facerent, ad mediterranea fu git loca, id est, uicesimo à mari miliario, ibiq; in quodam deserto agello, lignorum quotidie fascem alligans imponebat dorso discipuli. Quo in proxi ma uilla uenundato, & sibi alimoniam, & his qui forte ad eos ueniebant, pauxillulum panis eme- bant. Sed uere iuxta quod scriptum est: Non po- test ciuitas latere super montem posita. Scutari- us quidam cum in basilica beati Petri Romæ tor- queretur, clamauit in eo immundus spiritus: An- te paucos dies Siciliam ingressus est Hilarion ser uus Christi, & nemo eum nouit, & putat se esse secretum, ego uadam & prodam illum. Statimq; cum seruulis suis ascensa in portu naue, appulsus est Pachynum, & deducente se dæmone, ubi an- te tugurium senis se prostrauit, ilico curatus est.

Hoc initium signorum eius in Sicilia, innume rabilem ad eum deinceps ægrotantium, sed & re ligiosorum hominum adduxit multitudinem, in tā tum, ut de primoribus quidam tumens morbo in- tercutis,

percutis, eodem die quo ad eum uenerat, curatus sit. Qui postea offerens ei infinita munera, audiuit dictum saluatoris ad discipulos: Gratis accepistis, gratis date.

Dum hæc ita geruntur in Sicilia, Hesychius discipulus eius, toto senem orbe quærebat, lustrãs littora, deserta penetrans. Et hanc tantum habens fiduciam, quia ubicunq; esset, diu latere nõ poßet. Transacto igitur iam triennio, audiuit Methonæ à quodam Iudæo, uilia populis scruta uendente, prophetam Christianorum apparuisse in Sicilia, tanta miracula & signa facientem, ut de ueteribus sanctis deputaretur. Interrogatus itaq; habitum eius, incessum & linguam, maximeq; ætatem, nihil dicere potuit. Ille enim qui referebat, famam ad se uenisse tantum hominis testabatur. Ingressus igitur Adriam, prospero cursu uenit Pachynum: & in quadam curui littoris uillula, famam senis sciscitatus, cõsona uoce omniũ cognouit ubi esset, quid ageret, nihil in eo ita cunctis admirantibus, quam quód post tanta signa atq; miracula, ne fragmen quidem panis à quoquam in illis locis accepisset. Et ne longum faciam, sanctus uir Hesychius ad magistri genua prouolutus, plantasq; eius lachrymis rigans, tandem ab eo subleuatus, post

bidui triduiq; sermonẽ audit à Gazano, non posse senẽ iam illis habitare regionibus, sed uelle ad barbaras quasdam pergere nationes, ubi & nomen et sermo suus incognitus foret.

Duxit itaq; illum ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum, ubi paucis diebus in uicino agello mansitans, nõ potuit abscondi. Siquidẽ draco miræ magnitudinis (quos gentili sermone boas uocant, ab eo quòd tam grandes sint, ut boues glutire soleant) omnem late uastabat prouinciam, & non solum armenta & pecudes, sed agricolas quoque & pastores tractos ad se ui spiritus absorbebat. Cui cũ pyram iußisset præparari, & oratione ad Christum mißa, euocato populo, præcepißet struem lignorum scandere, ignem supposuit. Tum itaq; cuncta spectante plebe, immanem bestiam concremauit. Vnde æstuans quid faceret, quò se uerte[illegible] aliam parabat fugam, & solitarias terras m[illegible] perlustrans, mœrebat quòd tacente de se ling[illegible] miracula loquerentur.

Ea tempestate, terræmotu totius orbis, [illegible] post Iuliani mortem accidit, maria egressa [illegible] terminos suos, & quasi rursum deus diluuium [illegible]naretur, uel in antiquum chaos redirent omn[illegible] naues ad prærupta de latere montium pepend[illegible]

runt

runt. Quod cum uiderent Epidauritani, frementes fluctus & undarum moles, & montes gurgitum littoribus inferri, uerentes quod iam euenisse cernebant, ne oppidum funditus subuerteretur, ingreßi sunt ad senem, & quasi ad prælium proficiscentes, posuerunt eum in littore. Qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est, in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit, ac diu fremens, & quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est. Hoc Epidaurus & omnis illa regio usque hodie prædicat, matresq; docent liberos suos ad memoriam in posteros transmittendam. Verè illud quod ad Apostolos dictum est: Si credideritis, dicetis huic monti, transi in mare, & fiet, eciam iuxta literam impleri potest: si tamen quis habuerit Apostolorum fidem, & talem, qualem illis habendam Dominus imperauit. Quid enim interest, utrum mons descendat in mare, an immensi undarum montes repente obriguerint, & ante senis tantum pedes saxei ex alia parte molliter fluxerint. Mirabatur omnis ciuitas, & magnitudo signi Salonis quoque percrebuerat. Quod intelligens senex, in breui lembo

mare compescuit

clam nocte fugit, & inuenta post biduum onera-ria naui, perrexit Cyprum. Cunq; inter Maleā & Cytheram pyratæ derelicta classe in littore, quæ non antemna, sed conto regitur, duobus haud paruis myoparōibus occurrissent, & denuo hinc inde fluctus occurrerēt, remiges omnes qui in naui erāt trepidare, flere, discurrere, præparare contos, & quasi non sufficeret unus nuncius, certatim seni pyratas adesse dicebant. Quos ille procul intuens subrisit. Et conuersus ad discipulos dixit: Modicæ, inquit, fidei quare trepidatis? Nunquid plures sunt hi quàm Pharaonis exercitus? tamen omnes deo uolente submersi sunt. Loquebatur hic & nihilonimus spumantibus rostris, hostiles turmæ imminebant. iactu tantum lapidis medio. Stetit ergo in prora nauis, & porrecta contra uenientes manu, huc usq; (ait) uenisse sufficiat. O mira rerum fides, statim resiluere naiculæ, & impellentibus contra remis, ad puppim impetus re[dit]. Mirabantur pyratæ, post tergum se redire n[o]lentes, totoq; corporis nixu, et ad nauigium peru[e]nirent laborantes, uelocius multo quàm uenerant, ad littus ferebantur.

Prætermitto cætera, ne uidear in narratione signorum uolumen extendere. Hoc solum dicam, quod inter

quòd inter Cycladas nauigans, hinc inde clamantium de urbibus & uicis, & ad littora concurrentium, immundorum spirituum uoces audiebantur. Ingressus ergo Paphum urbē Cypri nobilem carminibus poetarum, quæ frequenter terræmotu lapsa, nunc ruinarum tantū uestigijs quid olim fuerit ostendit. In secundo ab urbe miliario habitabat ignobilis, gaudensq; quòd paucis diebus quiete uiueret. Verum nō ad plenum uiginti transiere dies, cum per omnem illam insulam quicunq; immundos habebant spiritus, clamare cœperunt, uenisse Hilariōem seruum Christi, & ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium, hoc Lapetha, & urbes reliquæ conclamabant, plerisq; asserentibus, scire se quidem Hilarionem, & uerè illū esse famulum Dei, sed ubi esset ignorare. Intra triginta igitur nec multo amplius dies, ducenti fermè, tam uiri quàm mulieres, ad eum congregati sunt. Quos cum uidisset, dolens quòd se non paterentur quiescere, & quodammodo in ultionem sui sæuiens, tanta eos orationum instantia flagellauit, ut quidam statim, alij post biduum triduum ue, omnes uero intra unam hebdomadam curarentur.

Manens itaq; ibi biennio, et semper de fuga cogitans, Hesychium ad se ueris tempore reuersurū,

Palæstinā ad salutationem fratrum & monasterij
sui cineres uisendos misit. Qui cum reuertisset, cu
pienti rursum ad Aegyptum nauigare, hoc est ad
ea loca, quæ uocantur Bucolia, eo q̧, nullus ibi Chri
stianorū esset, sed barbara tantum & ferox natio,
suasit ut in ipsa magis insula ad secretiorem locum
conscenderet. Quē cum diu lustrans omnia reppe
rißet, perduxit eū duodecim milibus à mari procul
inter secretos asperosq; mōtes, & quò uix reptan
do manibus genubusq; posset ascendi. Qui intro
gressus, contemplatus quidem est terribilē ualde
& remotū locum, arboribusq; hinc inde circūda-
tum, habentem eciam aquas de supercilio collis ir
riguas, & hortulum peramœnum, & pomaria
plurima, quorum fructum nunquam in cibo sump-
sit: sed et antiquißimi iuxta templi ruinam, ex quo
(ut ipse referebat, & eius discipuli testantur)
tam innumerabilium per noctes & dies dæmonum
uoces resonabant, ut exercitum crederes. Quo
ille ualde delectatus, quod scilicet antagonistas ha
beret in proximo, habitauit ibi per annos quinq;,
et sæpe inuisente se Hesychio, in hoc extremo iam
uitæ suæ tempore refocillatus est, quòd propter
asperitatem difficultatemq; loci & umbrarum
(ut ferebatur uulgo) multitudinem, aut nullus,

aut rarus ad se uel posset, uel auderet ascendere. Quodam autē die egressus hortulum, uidit hoīem toto corpore paralyticum iacentem ante fores, interrogauitq; Hesychium quis nam esset, uel quomodo fuisset adductus. Qui respondēs ait: procuratorem se fuisse uillulæ, ad cuius confinia hortulus quoq; in quo ipsi erant, pertineret. Et ille collachrymans tendensque ad iacentem manum: Tibi (inquit) dico in nomine Domini nostri Iesu Christi, surge & ambula. Mira uelocitas. Adhuc uerba in ore loquentis uoluebantur, & iam membra solidata ad standum hominem surrigebant. Quod postquam auditum est, etiam difficultatem loci, et iter inuiū plurimorū uicit necessitas. Nihil per circumitū cūctis uillis obseruātibus, quàm ne quo modo elaberetur. Disseminauerat enim hoc de eo rumor, diu eū in eodem loco manere nō posse. Quod ille nō leuitate quadā, aut puerili sensu uictus faciebat, sed honorē fugiens & importunitatem. Semper enim silentium & uitā ignobilē desyderabat.

Igitur octogesimo ætatis suæ anno, cum absens esset Hesychius, quasi testamenti uice breuem manu propria scripsit epistolam, omnes diuitias suas ei derelinquens, Euangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam & palliolum.

Nam minister eius ante paucos dies obierat. Venerunt itaq; ad ægrotantem de Papho multi religiosi uiri, & maximè quòd eum dixisse audierãt, iam se ad dominum migraturum, & corporis uinculis liberandum. Sed & Constantia quædam sancta fœmina, cuius generum & filiam de morte liberauerat unctione olei, quos omnes adiurauit, ut ne puncto quidē horæ post mortē reseruaretur, sed statim eũ in eodē hortulo terra operirēt, sicut uestitus erat in tunica cilicina et cuculla et sago rustico.

Iamq; modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quicquam uiui hominis supererat, & tamē apertis oculis loquebatur: Egredere quid times? egredere anima mea quid dubitas? Septu ginta prope annis seruisti Christo, & mortem t mes? In hæc uerba exhalauit spiritum. Statimq; hı mo obrutum, ante urbi sepultum, quàm mortuun nunciauerunt. Quod postquam Palæstinæ sanctu uir audiuit Hesychius, perrexit ad Cyprum, & si mulans se uelle habitare in eodem hortulo, ut dili gentis custodiæ suspitionem accolis tolleret, cum ingenti uitæ suæ periculo, post decem ferè menses corpus eius furatus est. Quod Maioniam deferēs, totis monachorum & oppidorum turbis prosequentibus, in antiquo monasterio condidit, illæsa

tunica

tunica, cuculla & palliolo, & toto corpore quasi adhuc uiueret, integro, tantisq; fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putaretur.

Non mihi uidetur in calce libri tacenda Constantiæ illius sanctißimæ mulieris deuotio, quæ perlato ad se nuncio, quòd corpusculum Hilarionis Palæstinæ esset, statim exanimata est, ueram in seruum dei delectionem etiam morte comprobãs. Erat enim solita peruigiles in sepulchro eius noctes ducere, & quasi cum præsente ad adiuuandas orationes suas sermocinari. Cernas usq; hodie miram inter Palæstinos & Cyprios contentionẽ, his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere certantibus. Et tamen in utriusq; locis magna quotidie signa fiunt, sed magis in hortulo Cypri, forsitã quia plus illum locum dilexerit.

DE VITA MALCHI CAPTIVI MONACHI.



Qui nauali prælio dimicaturi sunt, ante in portu & in tranquillo mari flectũt gubernacula, remos trahũt, ferreas manus, & uncos præparant, dispositumque

per tabulata militem, pendente gradu, & labente uestigio stare firmiter consuescũt, ut quod in simulacro pugnæ didicerint, in uero certamine non perhorrescant. Ita & ego qui diu tacui (silere quippe me fecit, cui meus sermo supplicium est) prius exerceri cupio in paruo opere, & ueluti quãdam rubiginem linguæ abstergere, ut uenire poßim ad latiorem historiam. Scribere enim disposui (si tamen uitam dominus dederit, et si uituperatores mei saltem fugientem me et inclusum persequi desierint) ab aduentu saluatoris usq; ad nostram ætatem, id est, ab apostolis, usq; ad nostri tẽporis fæcem, quomodo & per quos Christi ecclesia nata sit & adulta persecutiõibus creuerit, martyrijs coronata sit. Et postquam ad Christianos principes uenit, potẽtia quidem & diuitijs maior, sed uirtutibus minor facta sit. Verum hæc aliâs. Nunc quod imminet explicemus.

pulchre de Ecclia

Maronias triginta fermè milibus ab Antiochia urbe Syriæ, haud grandis ad orientem distat uiculus. Hic post multos, uel dominos uel patronos, dum ego adolescentulus morarer in Syria, ad Papæ Euagrij necessarij mei poßeßionem deuolutus est, quem idcirco nunc nominaui, ut ostenderem, unde noßem quod scripturus sum. Erat igitur illic quidam

quidam senex nomine Malchus (quem nos lati=
ne regem possumus dicere), Syrus natione &
lingua, & reuera αὐτόχθων. Anus quoque
in eius contubernio ualde decrepita, & iam mor
ti proxima uidebatur, tam studiose ambo religio
si, & sic Ecclesiæ limen terentes, ut Zachariam
& Helizabeth de Euangelio crederes, nisi quòd
Ioannes in medio non erat. De his cum curiose
ab accolis quærerem, quæ nam esset eorum copu=
la, matrimonij, sanguinis, an spiritus: omnes uo=
ce consona, sanctos & Deo placitos, & mira ne=
scio quæ respondebant. Qua cupiditate illectus
adortus sum hominem, & curiosius sciscitans
rerum fidẽ, hæc ab eo accepi. Ego, inquit, mi nate
Maroniaci agelli colonus, sed solus parentibus
fui. Qui cum me quasi stirpem generis sui, &
hæredem familiæ suæ ad nuptias cogerent, mo
nachum potius me uelle esse respondi. Quantis pa
ter minis, quantis mater blandicijs persecuti sint,
ut pudicitiam proderem, hæc res sola inditio est,
quòd & domum & parentes fugi. Et quia ad ori=
entem ire non poteram, propter uicinam Persidẽ,
& Romanorum militum custodiã, ad occidentem
uerti pedes, pauxillulũ nescio quid portãs uiatici,

quod me ab inopia tantum defensaret. Quid multa? Perueni tandem ad eremum Chalcidos, quæ inter Immam & Essam magis ad austrum sita est. Ibi repertis monachis, eorum me magisterio tradidi, manuum labore uictum quæritans, lasciuiamq; carnis refrenans ieiunijs. Post multos annos incidit mihi desyderium, ut ad patriam pergerem. Et dum ad huc uiueret mater (iam enim patrem mortuum audieram): solarer uiduitatem eius, & exinde uenundata possessiuncula, partem erogarem pauperibus, partem monasterio constituerẽ (quid erubesco confiteri infidelitatem meam?) partẽ in sumptuum meorum solatia reseruarem. Clamare cœpit abbas meus, diaboli esse tentationem, et sub honestæ rei occasiõe, latere antiqui hostis insidias. Hoc esse reuerti canem ad uomitum suum. Sic multos monachorum esse deceptos, nusquam diabolũ aperta fronte se prodere. Proponebat mihi exempla de scripturis plurima, inter quæ illud quod initio Adam quoq; & Euam spe diuinitatis supplantauerit. Et cum persuadere non posset, prouolutus genubus obsecrabat, ne se desererem, ne me perderem, nec aratrum tenens, post tergum respicerem. Væ misero mihi, uici monitorem pessima uictoria, putans illum non meam salutem, sed suum solatium

quærere

quærere. Proſecutus ergo me de monaſterio, quaſi funus efferret, ad extremũ ualedicens: Video (ait) te fili Satanæ cauterio notatum, non quæro cauſas, excuſationes non recipio. Ouis quæ de ouilibus egreditur, lupi ſtatim morſibus patet. De Beria ad Eſſam pergentibus, uicina eſt publico itineri ſolitudo, per quã Saraceni incertis ſedibus huc atq; illuc ſemper uagantur. Quæ ſuſpitio frequentiam in illis locis uiatorum congregat, ut imminens periculum auxilio mutuo declinetur. Erant in comitatu meo uiri, fœminæ, ſenes, iuuenes, paruuli, numero circiter ſeptuaginta. Et ecce ſubito equorum camelorũq; ſeſſores Iſmaelitæ irruũt, crinitis uittatisq; capitibus, ac ſeminudo corpore pallia & latas caligas trahentes, pendebant ex humero pharetræ, laxos arcus uibrantes, haſtilia lõga portabant. Non enim ad pugnandũ, ſed ad prædam uenerant. Rapimur, diſpergimur, in diuerſa trahimur. Ego enim longo poſtliminio hæreditatis poſſeſſor, & ſero mei conſilij pœnitens, cum altera muliercula in unius heri ſeruitutem ſortitus uenio. Ducimur, imo portamur ſublimes in camelis, & per uaſtam eremum ſemper ruinam timentes, pendemus potius quàm ſedemus. Carnes ſemicrudæ cibus, & lac camelorum potus erat.

Tandem grandi amne transmisso, peruenimus ad interiorem solitudinem, ubi dominam liberosq; ex more gentis adorare iussi, ceruices flectimus. Hic quasi clausus carcere, mutato habitu, id est nudus ambulare disco. Nam aëris quoq; intemperies, nihil aliud præter pudenda uelari patiebatur. Traduntur mihi pascendæ oues, & in malorum comparatione hoc fruor solatio, quòd dominos meos, & conseruos rarius uideo. Videbar mihi aliquid habere sancti Iacob. Recordabar Moysi, qui & ipsi in eremo quondam fuere pastores. Vescebar recenti caseo & lacte. Orabam iugiter, canebam psalmos, quos in monasterio didiceram. Delectabat me captiuitas mea. Agebã dei iudicio gratias, quòd monachum quem in patria fuerã perditurus, in eremo inueneram. O nihil unquam tutum apud diabolum. O multiplices & ineffabiles eius insidiæ. Sic quoq; latentem me inuenit inuidia. Dominus uidens gregem suum crescere, nihilq; in me deprehendens fraudulẽtiæ (sciebã.n. apostolum præcepisse: Dominis sic quasi Deo fideliter seruiẽdũ) & uolens me remunerare, quo fidũ sibi magis faceret, tradidit mihi conseruam meam, aliquando captiuam. Et cum ego refutarem, dicerémq; me Christianum

stianum, nec licere mihi uxorem uiuentis mariti accipere (siquidem captus nobiscum uir eius, ab alio domino fuerat abductus) rursus ferus ille, & implacabilis in furorem uersus, euaginato me cœpit petere gladio. Et nisi confestim brachia tetendens mulierem præoccupassem, ilico fudisset sanguinē. Iam igitur uenerat tenebrosior solito, et mihi nimium matura nox. Duco in speluncam semirutam, nouam coniugem, & pronubante nobis mœsticia, uterq; detestamur alterum, nec fatemur. Tunc uerè sensi captiuitatem meam, prostratusq; humi, monachum cœpi plangere, quem perdebam, dicens: Huccine miser seruatus sum? Ad hoc me mea scelera perduxerunt, ut incanescente iam capite, uirgo maritus fierem? Quid prodest parentes, patriam, rem familiarem contempsisse pro Domino, si hoc facio, quod ne facerem, illa contempsi, nisi quòd forte propterea hæc sustineo, quia patriam desyderaui? Quid agimus anima? perimus an uincimus? Expectamus manum Domini, an proprio mucrone confodimur? Verte in te gladium, tua magis mors timenda est, quàm corporis: Habet & seruata pudicitia suum martyrium,

iaceat insepultus Christi testis in eremo, ipse mihi ero persecutor & martyr. Sic fatus, eduxi in tenebris quoq; micantem gladium, & acumine contra me uerso: Vale inquam infœlix mulier, habeto me martyrē potius quàm maritū. Tūc illa pedibus meis prouoluta: Precor te (inquit) per Iesum Christum, & per huius horæ necessitatem adiuro, ne effundas sanguinem tuum in crimē meum. Vel si mori placet, in me primum uerte mucronem. Sic nobis potius coniungamur. Etiam si uir meus ad me redierit, seruarem castitatem, quam me captiuitas docuit, uel interirem potius, quàm perderem. Cur moreris, ne mihi iungaris? Ego morerer, si mihi iungi uelles. Habeto me coniugem pudicitiæ, & magis animæ copulam amato, quàm corporis. Sperent domini maritum, Christus nouerit fratrem. Facile suadebimus nuptias, cum nos uiderint sic amare. Fateor (inquit), obstupui, & admiratus uirtutem fœminæ, coniugem plus amaui. Nunquā tamen illius nudum corpus intuitus sum, nunquam eius carnem attigi, timens in pace perdere, quod in prælio seruaueram. Transeunt in tali matrimonio dies plurimi, amabiliores nos dominis fecerant nuptiæ. Nulla fugæ suspicio, interdum & mēse toto aberam fidus gregis pastor per solitudinē.

Post

Post grande interuallum dum solus in eremo sedeo, & præter cœlum terramq; nihil uideo, cœpi mecum tacitus uoluere, & inter multa, contubernij quoq; monachorum recordari, maximeq; uultū patris mei, qui me erudierat, tenuerat, perdideratq;. Sicq; cogitans, aspicio formicarū gregem angusto calle feruere, ferre onera maiora, quàm corpora. Aliæ herbarum quædam semina forcipe oris trahebant. Aliæ egerebant humum de foueis, & aquarum meatus aggeribus excludebant. Illæ uenturæ hyemis memores, ne madefacta humus in herbam horrea uerteret, illata semina præcidebant. Hæ luctu celebri, corpora defuncta deportabāt. Quodq; magis mirum est in tanto agmine, egrediens non obstabat intranti, quin potius si quam uidissent sub fasce & onere concidisse, suppositis humeris adiuuabant. Quid multa? Pulchrum mihi spectaculum dies illa tribuit. Vnde recordatus Salomonis, ad formicarum solertiam nos mittentis, & pigras mentes tali exemplo suscitantis, cœpi tædere captiuitatis, et monasterij cellulas quærere: ac formicarum illarum similitudinem desyderare, ubi laboratur in medium, cumq; nihil cuiusquam proprium sit, omniū omnia sunt. Regresso ad cubile occurrit mulier,

formica

tristiciam animi dissimulare nõ potui. Rogat cur ita exanimatus sim. Audit causas, hortatur fugam. Peto silentij fidem. Non aspernatur, & iugi susurro inter spem & metum medij fluctuamur. Erant mihi in grege duo hirci miræ magnitudinis, quibus occisis utres facio, eorumq; carnes uiatico præparo. Et primo uesperi, putantibus nos dominis secreto cubitare, inuadimus iter, utres & partes carnium portantes. Cumq; peruenissemus ad fluuium (nam decem milibus aberat) inflatis conscensisq; utribus, aquis nos credimus, paulatim pedibus subremigantes, ut deorsum nos flumine deferente, & multo longius quàm conscenderamus, in alteram nos exponente ripam, uestigium sequentes perderent. Sed inter hæc madefactæ carnes, & ex parte lapsæ, uix tridui cibũ pollicebãtur. Bibimus usq; ad satietatẽ, futuræ nos siti præparãtes. Currimus, post tergũ semper aspicimus, et magis noctibus prouehimus quã diebus, uel propter insidias late uagantiũ Saracenorũ, uel propter ardorẽ solis nimiũ. Pauesco miser etiã referens, & si tota mente securus, toto tamen corpore perhorresco. Post diem uero tertium, dubio prospectu procul aspicimus duos camelis insidentes uenire concitos.

Statimq;

Statimq́; mens mali præsaga, putare cœpit domi num, meditari mortem, solem cernere nigrescentem. Dumq́; timemus, & uestigijs nos proditos per arenas intelligimus, offertur ad dexteram specus, longe sub terram penetrans. Igitur timentes uenenata animalia (nam solent uiperæ, reguli & scorpiones, cæteraq́; huiuscemodi, feruorem solis declinantia, umbram petere) intrauimus quidē speluncam, sed statim in ipso introitu sinistræ nos foueæ credimus, nequaquam ultra progrediētes, ne dum mortem fugimus, incurramus in mortem. Illudq́; nobiscum reputantes: si iuuat Dominus miseros, habemus salutem. Si dispicit peccatores, habemus sepulchrum. Quid putas fuisse nobis animi? quid terroris? cū ante specum haud procul starent dominus & conseruus, & uestigio indice iā ad latebras peruenissent? O multò grauior expectata quàm illata mors. Rursus cum timore & labore lingua balbutit, & quasi clamante domino, mutire non audeo. Mittit seruum, ut nos de specu trahat, ipse camelos tenet, & euaginato gladio, nostrum expectat aduentum. Interea tribus ferè uel quatuor cubitis introgresso famulo, nobis ex occulto tergum eius uidentibus (nam oculorū istiusmodi natura est, ut post solē

umbram intrãtibus, cæca sint omnia): uox per antrũ sonat: Exite furciferi, exite morituri. Quid statis? quid moramini? Exite, dominus uocat, patienter expectat. Adhuc loquebatur, & ecce per tenebras aspicimus leænam inuasisse hominem, & gutture suffocatum, cruentum intro trahere. Iesu bone, quid tunc terroris nobis, quid gaudij fuit? Spectabamus domino nesciente, hostem nostrũ perire. Qui cum uideret illum moras facere, suspicatus est duos uni resistere. Sed iram differre non ualens, sicut tenebat gladium ad speluncam uenit, et furore rabido serui increpans uecordiã, prius à fera est tentus, quàm ad nostras latebras perueniret. Qui sunt qui hoc crederẽt, ut ante os nostrũ, bestia pro nobis dimicaret? Sublato autẽ illo metu, similis ante oculos nostros uersabatur interitus, nisi quòd tutius erat rabiem leonis quã iram hominis sustinere. Pauemus intrinsecus, & ne mouere quidem nos ausi, præstolabamur euentum rei, inter tanta pericula, pudicitiæ tantum cõscientia pro muro septi. Leæna insidias cauens, et uisam esse se sentiens, apprehensos mordicus catulos effert, nobisq; cedit hospitium. Neq; tamen satis creduli statim erumpimus, sed expectantes diu, & egredi cogitantes, illius nobis figurabamus

gurabamus occursum. Sublato ergo horrore, & alia transacta die egredimur ad uesperam, uidimusq́; camelos (quos ob nimiam uelocitatem dromedarios uocant) præteritos cibos in ore uoluere, & in aluum missos iterum retrahere, quibus ascensis, & noua sitarcia, id est, annona refocillati, decima tandem die ad Romana per desertum castra uenimus. Oblatiq́; tribuno, rem ordine pandimus, inde transmißi ad Sabinum Mesopotamiæ ducem, camelorum precium accepimus. Et quia iam abbas ille meus dormierat in domino, ad hæc delatus loca me monachis reddo, hanc trado uirginibus, diligens eam ut sororem, non tamē ei me credens ut sorori.

Hæc mihi senex Malchus adulescentulo retulit. Hæc ego uobis narraui senex, & castis historiam castitatis expono. Virgines castitatem custodire exhortor. Vos narrate posteris, ut sciant inter gladios, & inter deserta & bestias, pudicitiā nunquā esse captiuā, & hominem Christo deditū posse mori, non posse superari.

MIRACVLVM DE MVLIE re septies icta.



AEPE à me Innocenti chariſsime poſtulaſti, ut de eius rei miraculo, quæ noſtra ætate acciderat, non tacerem. Cumq; ego id uerecunde & uere, ut nunc experior, negarem, meq; aſſequi poſſe diffiderẽ, ſiue quia omnis ſermo humanus inferior eſſet laude cœleſti, ſiue quia ociũ quaſi quædã ingenij rubigo, paruulã licet facultatẽ, priſtini ſiccaſſet eloquij: tu ecõtrario aſſerebas in dei rebus nõ poßibilitatẽ inſpici debere, ſed animũ, neq; poſſe eũ uerba deficere, q crediſiſſet in uerbo. Quid igitur faciã? Quod implere non poßũ, negare non audeo. Super onerariã nauẽ rudis uector imponor. Et homo qui necdũ ſcalmũ in lacu rexi, Euxini maris credor fragoribus. Nũc mihi euaneſcentibus terris, cœlum undiq;, & undiq; pontus, nunc unda tenebris inhorreſcens, et cæca nocte, nimborum ſpumei fluctus caneſcunt. Hortaris ut tumida malo uela ſuſpendam, rudentes

et Danielis reuocetur historia, iuxta quem adulantibus caudis, prædam suam leonum ora timuerunt. Nunc Susanna nobilis fide, omnium subeat mentibus, quæ iniquo damnata iudicio, spiritu sancto puerum replente, saluata est. Ecce non dispar in utraq; misericordia Domini. Illa liberata per iudicem, ne iret ad gladium, hæc à iudice damnata, absoluta per gladium est. Tandem ergo ad fœminam uindicandam populus armatur. Omnis ætas, omnis sexus carnificem fugat, & cœtu in circulum coëunte exclamat: Non credit pene unusquisque quod uidet. Turbatur tali nuncio urbs propinqua, & tota lictorum turma glomeratur. E quibus medius, ad quem damnatorum cura pertinebat erumpēs, & caniciem immundam perfuso puluere turpans: Quem meum, inquit, ô ciues petitis caput? me illi uicarium datis? Si estis misericordes, si clementes estis, si uultis seruare damnatam, innocens certe perire non debeo. Quo fletu uulgi concussus est animus, mœstusq; se per omnes torpor insinuat: & mirum in modum uoluntate mutata, cum pietatis fuisset, quod ante defenderant, pietatis uisum est genus, ut paterentur occidi. Nouus igitur ensis, nouus percussor

apponitur. Stat uictima, Christo tantum fauente munita. Semel percussa concutitur, iterum repetita quassatur, tertio uulnerata prosternitur. O diuinæ potentiæ sublimanda maiestas, quæ prius fuerat quarto percussa, nec læsa, ideo post paululũ uisa est mori, ne pro ea periret innoxius. Clerici, quibus id officij erat cruentum linteo cadauer obuoluũt, et fossam humum lapidibus cõstruentes, ex more tumulum parant. Festinato sol cursu occasum petit, & misericordia domini celerior cursu naturæ nox aduenit. Subito fœminæ palpitat pectus, et oculis quærentibus lumẽ, corpus animatur ad uitam. Iam spirat, iam uidet, iã subleuatur et loquitur. Iam in illam potest uocem erumpere: Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo. Anus interim quædã, quæ ecclesiæ sustentabatur opibus, debitum cœlo spiritum reddidit, & quasi de industria ordine currente rerum, uicarium tumulo corpus operitur. Dubia adhuc luce, in lictore diabolus occurrit, quærit cadauer occisæ, sepulchrum sibi monstrari petit, uiuere putat quam mori potuisse miratur. Recẽs à clericis cespes ostenditur, & dudum superiecta humus cum his uocibus ingeritur flagitãti. Erue scilicet ossa iam condita. Infer nouum sepulchro

bellum


...aibus ferisq; lanian
d... e. Septies percussa debet ali-
quid plus morte perpeti. Tali ergo inuidia carni
fice confuso, clam domi mulier refocillatur: Et ne
forte creber medici ad ecclesiam commeatus sus-
pitionis panderet uiam, cum quibusdam uirgini-
bus ad secretiorem uillulam secto crine trāsmitti
tur. Ibi paulatim uirili habitu ueste mutata, in ci-
catricem uulnus obducitur. Et ô uerè ius summū
summa malicia, post tanta miracula adhuc sæuiūt
leges. En quò me gestorum ordo pertraxit? Iam
enim ad Euagrij nostri nomen perueniemus. Cu-
ius ego pro Christo laborem, si arbitrer à me di-
ci posse, non sapiam: si penitus tacere uelim, uoce
in gaudium erumpente non poßim. Quis enim ua
leat digno canere præconio, Auxentium Medio
lanis incubantem, huius excubijs sepultum, penè
antequam mortuum? Romanum Episcopum iam
penè factionis laqueis irretitum, et uicisse aduer
sarios, & non nocuisse superatis?


Verum hæc ipse equidem spatijs exclusus ini
quis


Prætereo, atque alijs post me memoranda re-
linquo.

Præsentis tantum rei fine contentus sum. Im-

FINIS.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0031223

